STATVTA

SYNODALIA ECCLEsiæ Nitrieñ. Anni 1494.

Quæ quomodo nunc in lucem prodierint, & in quem usum, sequens pagina demonstrabit.





VIENNAE AVSTRIAE IN AEDIbus collegij Cæsarei Societatis Iesu, Anno M. D. LX.





PAVLVS ABSTEMIVS QVINqueecclesien. Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Transsyluaniensis, electus in Commendam Episcopatus Nitriē. lociq; eiusdē Comes perpetuus &c. Honorabilibus in Christo dilectis fratribus Plebanis, Sacellanis, gratianis, altarium & sacellorum rectoribus, Concionatoribus, ac quibuscunq; alijs Diœcesanis Episcopatus Nitriensis, salutem in Domino sempiternam.

SAnctissimorum Patrum sanctißimis constitutionibus in generalibus antiquis Concilijs statutum esse scimus, Fratres in Christo nobis dilecti, ut singulis quibusq; annis Synodum pro officio pastorali in sua quisq; Episcoporum diœcesi celebraret: atq; de moribus cleri reformandis, necnon de animarum cura salutaria documenta daret. Verùm quia ab aliquot iam annis (proh dolor) talis Synodus in Ecclesia Nitriensi celebrata non fuit, (cuius rei causam uobis bene notam esse putamus) ideo nos, quantum in nobis erit, omni studio, ac paterna solicitudine constituimus diœcesanam Synodum, diuina fauente gratia, conuocare, idq; cumprimum á sede Apostolica confirmationem Commendæ huius Ecclesiæ nostræ Nitrien. (quemadmodum futurum breui speramus) obtinuerimus, sine qua huic nostro desiderio satisfacere

minimè possumus. In ea uerò Synodo tractaturi, Deo bene propitio, sumus, quæ ad officium nostrum & uestrum in spiritualibus necessariò pertinere uidebuntur. Nos quidem, ut apud uos quoq; excusati simus, prout coram Deo nos esse confidimus, ab eo sanè tempore, quo ad Ecclesiæ huius Commendam Dei benignitate electi sumus, confirmationem nostram solicitare nunquam intermisimus. Sed tamen magnæ (quas, ob ingentia populi Christiani scelera, esse sæpe & inter Christianos permittit Deus, clementissimus alioquin cœlestis noster pater) rerum publicarū perturbationes in causa fuerunt, cur ad hunc usq; diem isthæc nostra optata confirmatio protracta sit atq; dilata. Porrò quia, eandem ob causam quòd nondum illam sumus consequuti, rem hanc, Episcopalem iam dictam Synodum, inquam, non modò salutarem, sed animabus etiam nostris ac uestris, totiusq; plebis curæ nostræ à Deo cōmissæ pernecessariam differre, atq; in aliud tempus reijcere cogimur: consultò decreuimus cum hac nostra epistola antiqua quoq; Nitriensis Ecclesiæ statuta Synodalia, quæ summam sanctorum Canonum breuiter continent, quæq; uice diœcesanæ Synodi, donec illam poßimus legitimè in Ecclesia nostra Nitrien. celebrare, uobis esse poßint, hinc ad uos mittere. Ea uerò quamuis non ita diu in Conseruatorio dictæ Ecclesiæ manu olim scripta inuenerimus, in plura tamen exemplaria ad uestram omnium commoditatem

ac eruditionem proprijs impensis excudi fecimus. Et quia proxima Synodo, Christo Iesu bene propitio, de illis omnibus, quae illic habentur, plenius atq; pro ratione horum temporū tractare statuimus, id solum nunc egimus, ut annotationes quasdam ad calcem ipsarū constitutionum haberetis, ex quibus quaedam paulò difficiliora, & non intellecta ab omnibus, & in quibus, ob crassam etiam ignorantiam saepe multi parochi seu plebani impingunt, ac errant, plenius atq; planius intelligeretis: reliqua, si quae fortè fuerint, in saepe iam dicta Synodo, quādo placuerit Domino Deo nostro, intellecturi ex nobis. Habebitis uos uerò interim, fratres mei, ac amore filij in Christo dilectißimi, habebitis, inquam, uos interim formam & exemplar uitae ac officij uestri, secundum quod omnibus diebus dirigatis pedes uestros ad seruiendum Domino Deo nostro, in sanctitate & iustitia in uiam pacis. Animo itaq; hilari sancta haec atq; peruetusta maiorum documenta, dilecti filioli ac fratres suscipite, & zelo Dei saepius ea perlegite: ac, ut facto ipso etiam cum Dei adiutorio ea complere studeatis, uos plurimum hortamur, et quemlibet uestrum per salutem animarum uestrarū etiam atq; etiam obtestamur. Non enim ut D. Paulus ait: Auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur, Rom. 2. D. quoq; Iacobus, Estote, inquit, factores uerbi, & non auditores tantum: quia factor operis, hic beatus in facto suo erit. Et

in Euangelio Dominus: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei. Iam uerò cum sancta Ecclesia Romanæ matris nostræ ac omnium fidelium statuta, cùm sanctorum Conciliorum sanctiones orthodoxis patribus ab ipso spiritu sancto inspiratæ, tanta cum ueneratione à sanctis patribus maioribusq́; nostris omnibus susceptæ sint. ut B. Gregorius dicere in registro suo lib. 1. cap. 24. & lib. 2. cap. 49. & lib. 3. cap. 33. sanctissimè audeat: sicut S. Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia (S. generalia, quæ tantum D. Gregorij tempore fuerant celebrata) suscipere & uenerari me fateor. Hæc tota deuotione amplector, & integerrima approbatione custodio. Non est cur dubitetis uos animas uestras, et subditorū uestrorū, ô filij atq; fratres, mihi in Domino dilecti, non est, inquam, cur dubitetis ad normam harum constitutionum, quas uobis mitto, quæ nihil à doctrina horum Conciliorum & statutis Ecclesiæ Romanæ alienum habent, & secundum eas animas uestras, et subditorū uestrorū effingere et formare. Sed dicet fortè quispiam (non enim omnes rectè nec recta sapiunt) Hæc non sunt Euangelia, non sunt scripta in Euangelio. Audite filij, & nolite cum insipientibus loqui, sed cum sapientibus & sanctis sentite & loquimini. Sic D. August. ait lib. 1. contra Cresconium Grammaticum cap. 33. Proinde quamuis huius rei certæ de disci-

plinis

plenis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam à nobis tenetur ueritas, cum hoc facimus, quod uniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat autoritas, ut quoniam S. scriptura fallere non potest, quisquis fallere metuit, huius obscuritate quæstionis eandem Eccclesiam de illa consultet, quam sine ulla ambiguitate S. scriptura demonstrat. Videtis filij, quanta ueneratione ea, quæ ab Ecclesia matre uestra & nostra traduntur, debeatis obseruare. Videtis ea non esse minus obseruanda, & certa, quàm ea, quæ in scripturis Canonicis sunt. Sed si rogatis quare ita sit, eundē sanctum audite ad Ianuarium scribentem epist. 128. cap. 1. Illa autem quæ non scripta (S. in Euangelijs uel sacris Biblijs) sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obseruantur, dantur intelligi, uel ab ipsis Apostolis, uel à plenarijs Concilijs, quorū est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atq; statuta retineri. Fatemur itaq; filij, has constitutiones quas uobis mittimus, non ita expressè in Euangelijs, sed eæ tamē sunt, quæ, ut uidistis, tanquā ab ipsis Apostolis traditæ uel toti Ecclesiæ, & cuiuis Episcopatui datæ, ab omni Christiano clero meritò obseruari debent. Hæ etenim orthodoxæ constitutiones ad Euangelij pleniorem obseruationem ex traditionibus uniuersalis Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ, atq; ex ipsis Concilijs particularibus, & uniuersalibus, à sanctis patri-

bus

bus coepiscopis maioribus & prædecessoribus nostris collectæ, & in Canones, id est, regulas redactæ sunt ad nostram omnium salutarem eruditionem, iuxta illud Apostoli: Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Non sunt itaq;, fratres mei, non sunt, inquam, humanæ traditiones, quas uobis mittimus (ut præsentis temporis hæretici infelicißimi, ac nimium miserandi homines asserunt) sed sanctorum sunt Apostolorum Iesu Christi, salutifera documenta, quasi per manus ipsorũ Ecclesiæ catholicæ ac nobis tradita, atq; commendata: per quæ ad perfectiorem uiam salutis, tanquam per semitam quandam mandatorum Dei, nos mater nostra deducit. Hanc igitur sanctorum Canonum uiam fratres tenete, hanc diligite, amate, & obseruate. Ab hac, si qui ex uobis diabolica fraude decepti, fortè aberrare cœperunt (quod à uobis longè abesse optamus) primo quoq; tempore incunctanter redeant, hanc constanti animo & intrepido amplectantur, huic insistant, hanc teneant, hanc greßibus suis terant. In hac enim una pedes, in præparationem Euangelij pacis calceati, non impingunt, neq; offendunt: quia tenebræ hæresum eam non comprehenderunt, neq; offuscarunt, quam sol iustitiæ Christus suo radio indeficienti abundè illustrat. Hæc est uia illa, quæ omnem clerum uerè Christianum, ad illam unam, sanctam Ecclesiam catholicam, Apostolicã, Romanam, quam Christi sponsam credimus, quam à Spiritu S. regi

fatemur,

fatemur, quam in Symbolo Apostolorum quotidie nominamus & confitemur, cuius pars cum Domino est, saluum indubitanter adducit, & in ea conseruat: extra quam Ecclesiam unam & sanctam (in qua unitas, pax, fides Christi, spes & charitas, pietatis & charitatis opera, diuinus etiam internus ac externus cultus, ueraq; religio, uere & non alibi regnant) nemo salutem animæ suæ inueniet. Nam sicut pisces extra aquam, sic extra hanc Ecclesiam, in qua sola uiuificans Domini spiritus est, animæ neq; sibijpsis, neq; alijs, & multo minus Deo uiuere possunt. Neq; tamē arbitretur se quisq; in Ecclesia hac esse, qui uel eius præcepta despicit, uel statuta cane peius & angue, ut dici solet, odit, uel sanctiones Ecclesiasticas, ac adeò pastores ipsos, & Christi omnes ministros abijcit, conculcat, blasphemat. Longè etiam ille ab hac Ecclesia sancta Christi sponsa, discessit, qui se sola fide posse saluari præsumptuosè affirmat (fides enim sine operibus nō magis potest esse uiua, quàm ignis ardere absq; calore) qui opera bona ad salutem Christianis esse necessaria negat, qui huius farinæ complura alia mendacia, tamq; ueritatem ipsam mordicus tenet uel docet, quamuis præsentis seculi pseudoapostoli, ne dicam præcursores Antichristi, peruersis dogmatibus & impijs consilijs, sectatoribus suis blandiuntur, & hæc atq; alia diaboli inuenta pro ueris suos maximè docent auribus prurientes, ac leuißimos discipulos homi-

nes ac potius dæmones incarnati, illusores, superbi, elati, absq; fœdere, ut D. Paulus ait, absq; misericordia, qui proprias conscientias cauterizatas habentes, ignorant seipsos & Domini Ecclesiam, qui pauperes & inopes, & lasciuiæ deditos et luxui maxime decipientes, ac indoctos, rectos quoq; corde Dei filios opprimere imprudentes, ac trucidare mille in primis modis (sed frustra) student, contendunt, nituntur. Tales fuerunt nostro tempore, qui non sunt, Lutherus spiritus uertiginis infelicissimus, Zuinglius, Carolostadius, Oecolampadius, Bucerus, & isti, Melanchton, Fursterus, Vrbanus Regius, Stancarus, Sarcerius, Illyricus, Suenckfeldius, qui non sunt, quia Deo mortui sunt, ac diabolo miseri uiuunt, & alij omnes qui illorum peruersam doctrinam amplexi & secuti sunt, & sequuntur, quiq; ab Ecclesia sancta Catholica, una, Apostolica atq; Romana sese hac nostra ætate segregarunt, qui nihil nisi carnalia, in cathedra pestilentiæ sedentes, docent, & consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis, ad capiendas animas, mentientes populo meo credenti mendaciũ, ut Ezechiel ait 13. cap. de quibus idẽ Propheta ca. 22. sic habet, Prophetæ autem eius liniebant eos absq; temperamento, uidentes uana, & diuinantes eis mendacium. Hi igitur carnis prædicatores, non Deo sed hominibus placentes, contra Christi Domini Euangelij meram ueritatem,

semen-

ſe mendacijs opponunt, portamq́; & uiam ſalutis noſtræ, quam Chriſtus Dominus noſter ita anguſtam & ſpinoſam, ſicut inferni latam & ſpacioſam eſſe, docuit: ipſi, dictum Domini peruertentes, inferni aditũ arctum, anguſtum, & ad quem nullus accedit: ſalutis uerò uiam contrà, latam & ſpacioſam eſſe, omnesq́; ſaluari in uia peccatorũ ſtantes, perperã & impudenter prædicant & affirmãt. Videte igitur fratres, quomodo in die cautè ambuletis. Videte, inquam, & in Domino ſapite, ac ſtate in uijs maiorũ ueſtrorum, quoniam dies mali ſunt. An non iſti uerè Antichriſti ſunt, quorum peruerſa doctrina ex diametro Chriſto Domino noſtro aduerſatur? nonne apertè falſa docent, nónne animas à Chriſto Ieſu ſeducunt? Attendite itaq́;, ô fratres in Chriſto dilectiſſimi, à talibus pſeudoeuangeliſtis, mendaciorum magiſtris. Iſti, inquã, diaboli doctores ſunt: hæreſim docẽt: animas ad æternam damnationem trudũt, præcipitant, & tranſuerſas agunt. Cauete, nolite eſſe ſecuri. Cauete, inquam, ab eis, quantum maximè poteſtis, cauete à fermento iſtorum phariſæorum, & ab eorum damnatorum dogmatum lectione fugite, & eorum uerba nolite audire, & quæ ipſi ſcribunt, deteſtamini. Incurrunt enim legentes in excommunicationem, à qua non poſſunt niſi à ſummo Pontifice Romano, uel ab eis qui ſup hoc habẽt ab eo facultatẽ, abſolui: idq́; factũ meritò ac optimè. Nam eorũ libri & ſcripta ea ſunt, quæ

proculdubio simplices legentes in primis retrahunt, ac postmodum in profundum inferni baratrum eos praecipitant. Legite scripta sanctorum doctorum, quae sancta mater nostra Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana recepit & approbauit, scripta, inquā, diuorū Gregorij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Cypriani, aliorumq; sanctorum patrum ac uetustissimorū Ecclesiae doctorum. Recentiorum uerò Ioannis Ecchij scripta. Item Ioannis Fabri, F. Nauseae, Episcoporum Viennen. B. Rophensis Episcopi, Hosij Varmiensis Episcopi, D. Cromeri, Clytouei, Staphili,, ac aliorum praestantissimorum Theologorum. Legite praeterea Catechismum uerè Catholicum Societatis Iesu, Collegij Viennensis, legite breue directorium sacramenti Confessionis, quae cum praesentibus literis & constitutionibus, per nos, pro xeniolo huius noui anni, ad uos mittimus: & quae ore legitis, ut corde (sicut alibi scriptū est) credatis, atq; opere cum Dei gratia compleatis, uos plurimum rogamus: ac si par est, oramus & obsecramus, fratres in Christo dilectissimi, ut hac ratione tandem auditores uestros, uerbo pariter & exemplo uestro bono docere, & coelestis uitae formam eis praebere possitis. In horum enim sanctissimorum doctorum diligenti & frequenti lectione, semoto omni dubio, inuenietis sanè hanc unam, sanctam, Catholicam, Apostolicam, Romanam Ecclesiam, cui adhaerentes errare non poteritis, quam

sequuti

ſequuti ſalui eritis, in qua ueram Chriſti doctrinam atq; adeò ipſum Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum inuenietis, cum Patre & Spiritu ſancto, & in eo ſemper tanquam uiua membra per opera bona manentes, uitam quoq; illam beatam & æternam, nobis ab æterno per lignum ſanctæ Crucis præparatam, poſt hanc uitam recipietis. Datum Nitriæ die XXI. menſis Ianuarij, Anno ſalutis M. D. LX.

INDEX MATERIARVM atq; Synodalium constitutionum huius operis.

De

ALIAE CONSTITVTIONES.

In-

CONSTITVTIONES SYNODALES ECclesiæ Nitrien. Anni 1494.



SICVT doctor summus, & egregius beatus Augustinus testatur in libro de fide Christiana, Catholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa, tribus modis existere comprobatur. Quicquid nanque in ea tenetur, aut est autoritas scripturarum, noui & ueteris testamenti, uel uniuersalis traditio, aut instructio propria & particularis, authoritate autem ipsarum sacrarum scripturarum totaliter gubernatur: ex uniuersali traditione maiorum nihilominus regitur ipsa tota. Priuatis uerò constitutionibus, & proprijs informationibus, pro locorũ uarietate regitur unaquæque. Ea propter: Nos Antonius Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Nitriensis, locique eiusdem Comes perpetuus, quædã ad informationem morum, & Ecclesiarum nostræ Diœcesis profectum, ac delictorum coertionem, prudentum participato Consilio, & consensu fratrum nostrorum de capitulo, infrascriptas constitutiones edidimus, prout ipsarum utilitati credimus expedire, ipsasque in Cleri nostræ Diœcesis notitiam scriptis præsentibus duximus transfe-

A (margin, first line) · B (margin, at "rarum totaliter gubernatur") · C (margin, at "de capitulo")

A *transferendas, & in hac sancta Synodo publicandas, mandantes easdem sub pœnis adiectis inuiolabiliter obseruari, & super illarum obseruatione, omnes, & singulas personas Ecclesiasticas nobis iure Diœcesano subiectas, primò, secundò, & tertiò, ac peremptoriè admonentes, pœnasq; speciales, & alias quascunq; insertas ex nunc, & ipso facto contra ipsarum temerarios transgressores proferentes, Constitutiones ipsas interpretandi, declarandi,*

B *addendi, ac minuendi &, contra ipsas disputandi, nobis nostrisq; successoribus facultate plenaria reseruātes.*



PROOEMIVM.

CHarissimi fratres, Sacerdotes Domini, ac cooperatores officij nostri uos estis. Nos quidem ac cæteri Archiepiscopi, seu Episcopi, licet indigni locum Aaron tenemus, uos Eleazari. Nos uice duodecim Apostolorum fungimur, uos instar septuaginta duorum discipulorum: Nos pastores uestri sumus, uos pastores commissæ uobis plebis: Nos summo pastori Domino nostro Iesu Christo in communi de uobis rationem reddituri sumus, uos uerò de plebibus uobis commissis. Vestram itaq; in Domino hortamur fraternitatem, monemus, atq; obsecramus, ut memoriæ commendare & adimplere summo opere studeatis illud, quod est necessarium ad officij uobis commissi onus, ritè, ac legitimè peragendum. Duo uerò principaliter unicuiq; uestrum necessaria esse noscuntur. Primum est uita, & conuersatio irreprehensibilis. Secundum est scientia commendabilis, & hæc præcipuè in quatuor consistunt. Primò in Ecclesiasticorum sacramentorum administratione. Secundò in eorundem cauta custodia & contractatione. Tertiò in Diuinorum officiorum celebratione. Quartò in animarum & ecclesiarum regimine ac dispositione. Primò itaq; uobis uita & conuersatio irreprehensibilis, quò ad uos, & quò ad alios est necessaria: uobis necessaria est uita uestra, sed alijs fama uestra. Vnde inquit Dominus in Euangelio,

A

B

C

A Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est: alioquin secundum prophetam, si Sacerdos, qui unctus est, peccauerit, faciet delinquere populum. Sacerdos enim bene docendo, & male agendo Deum instruit qualiter eum debeat condemnare, & tot mortibus, nexibus digni sunt addicti, quot subditos ad exempla perditionis transmittunt. Vt igitur uita & conuersatio uestra irreprehensibilis appareat, & cæteris luceat per
B exemplum, expedit uobis, ut quæ sequuntur attendatis. Nullus enim arma uel gladios ad feriendum deferat, nisi ex iusta, & probabili causa timoris. Nullus comam nutriat atq; barbam: sed unusquisq; comam & tonsuram habeat congruentem. Nullus ebrietatibus, crapulis, percussionibus, & blasphemijs uacet, nullis spectaculis, quę aut in nuptijs, aut conuiuijs seu choreis habentur intersit. Vnusquisq; uestrũ dolos et cõiurationes caueat: odiũ, æmulationes, detractiones atq; inuidiã fugiat. Non uagis
C oculis, non effræni lingua, aut petulãti gestu incedat: sed pudorẽ mentis, simplici habitu, & incessu ostendat. Senioribus debitã obedientiã & reuerentiã præbeat, & ab omnibus illicitis cor, linguã, corpus Deo autore cõseruet. Curam pauperum & aliorum miserabilium personarum habeat: uiduis & orphanis, ac pupillis auxilium impendat. Et tam in his, quàm in alijs, totius boni exemplum in uobis præbete. Primùm sciatis, Sacerdotis esse officium

officium, omnibus prodesse, nulli autem nocere uelle. Se- A
cundò quoq; scientia conuenit uos esse ornatos, ne il-
lam audire mereamini propheticam sententiam: Tu
scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio
fungaris mihi. Vilißimus quippe reputandus est, nisi
praecellat scientia, qui praestantior est honore. Et se-
cundum Prophetam: Labia Sacerdotis custodiunt scien-
tiam, & legem requirunt ex ore eius, quoniam Angelus
Domini exercituum est. Ignorantia enim sacrarū scri-
pturarum praecipuè in ministris Ecclesiae, ignorantia B
est Christi, id est, ignorat Deum, & Deus ipsum. Vnde
scriptum est: Ignorans ignorabitur. Et secundum Euan
gelicam ueritatem: Si caecus caeco ducatum praebeat,
ambo in foueam cadunt. Vobis enim datum est nosse
mysterium uerbi Dei, caeteris autem in parabolis. Omni
enim poscenti de fide tenemini reddere rationem. Qua-
druplici autem scientia uos conuenit exornari, prout
dictum est. Et primò illa, quae in Sacramentorum Ec-
clesiasticorum administratione consistit, quae sunt se- C
ptem, uidelicet Baptismus, Confirmatio, Poenitentia,
Eucharistia, Ordo Sacerdotalis, Matrimonium, & ex-
trema Vnctio, de quibus singulis aliqua sub compendio
pertractemus. Et primò.

DE BAPTISMO CAPItulum primum.

A BAptiſmus enim eſt primum Sacramētum, ianua, & fundamentū omnium aliorum, quo non recepto, nulla alia proſunt ad ſalutem. Per illud enim ingreditur ad Chriſtum. At ubi Chriſtus non eſt fundamentum, nullum boni operis ſupereſt ædificium. Pro infantibus ergo baptizandis, uel pro confeſsione alijsq; Sacramentis præmium, aut pretium requirere nolite. Et ne propter ueſtrã negligentiã, infans aliquis ſine baptiſ-
B mo decedat, cauete. Vnaquæq; Eccleſia baptiſmales fontes lapideos habeat, ſi poteſt habere: alioquin ad hoc habeat ligneū ſpecialē. Parochianos ueſtros admonete, ut ſuos filios & filias, imò & ipſos patrinos, ut eos, quos è ſacro Baptiſmatis fonte ſuſceperunt, Symbolum, id eſt, Credo, & orationem Dominicam, ſcilicet, Pater noſter doceant, bonisq; moribus informent. Cæterum, ſi infantuli nati propter mortis periculum uobis
C ad baptizandum nequiuerint præſentari, ab hominibus circumſtantibus maſculis, uel illis non exiſtentibus, à fœminis baptizentur, uel etiam à patre uel matre, ſi alij deſunt: in hoc enim caſu pater uel mater non delinquunt, ſed merentur.

Ba-

Baptiſmus enim in mortis articulo, etiam ab hæ- A
retico ſiue ſchiſmatico ſecundum formam Eccle-
ſiæ collatus prodeſt ad ſalutem. Sæpiſsime etiam
plebibus ueſtris baptiſmi formam, ut eam di-
ligenter, cùm neceſsitatis articulus occurrerit,
obſeruent, inſinuate: ſcilicet, ut baptizans infan-
tem, impoſito prius ſibi nomine, producto
crucis ſigno ſuper aquam, ter in modum cru-
cis immergat illum in aquam, dicens: A. uel Pe-
tre uel Paule, B. Ego te baptizo in nomine Pa- B
tris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Et ſi ne-
ſcit literas baptizans, hoc uulgariter dicat. Ve-
runtamen ſi tantum ſemel immerſit, & infanti
nomen impoſitum non fuerit, nihilominus in-
fans baptizatus eſt, dummodo præmiſſa for-
ma uerborum ſeruetur. Vbi uerò tanta a-
quæ, uel temporis copia, uel uas aptum ad hoc
haberi non poteſt, ut totaliter in aqua mergi
poſsit, cum ſcutella uel alio uaſe aliqua aquæ C
quantitas ſuper caput uel corpus infantis, di-
cendo præmiſſa uerba, fundatur. Porrò ubi
in articulo neceſsitatis infans à Laico bapti-
zatur, ſi ſuperuixerit infans, quanto citius fie-
ri poterit, presbytero præſentetur: qui ſi di-
ligenti examinatione & inquiſitione præmiſ-
ſa, ipſam formam non eſſe ſeruatam inue-
nerit,

A nerit: illum iuxta formam Eccleſiæ baptizet: ſi
uerò dubium ſit, quia fortè baptizans quibus
uerbis uſus eſt, ad plenum non recordatur: uel
fortè qui præſentes fuerant ab inuicem diſcor-
dant: tunc illum baptizet his uerbis, Si tu bapti-
zatus es, non te rebaptizo: ſi autem non es, ego
te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus
ſancti. Idē quoq; ſeruandū eſt, ubicunq; dubita-
tur, an aliquis ſit baptizatus uel non. Si uerò Sa-
B cerdoti conſtiterit, infantem à Laico fuiſſe iuxta
formam Eccleſiæ baptizatum, non rebaptizet,
neq; cathechizet eum, ſed ſolùm inungat in pe-
ctore, & inter ſcapulas oleo benedicto, & in uer-
tice Chriſmate ſine interrogatione illa, Abrenun
cias Satanæ? &c. dicendo orationes, quæ in tali-
bus unctionibus poſt baptiſmū dici ſolent. Nul-
lum religioſum, uel interdictum, aut excommu-
nicatum, uel qui non eſt baptizatus, debet reci-
C pere ſcienter in patrinum, id eſt, in compatrem:
& ſicut compater eſt parentum infantis ille, qui
leuat in baptiſmo, ſic & ſacerdos qui baptizat.

DE CONFIRMATIONE
Capitulum ſecundum.

SEcundum autem Sacramentum Eccleſiæ, eſt
Con-

Confirmatio, à Christo institutum, qui Aposto- A
los suos confirmauit, & per eos eorum successo-
res populos suos confirmandos instruxit. In hoc
Sacramento, sicut & in baptismo, compaternitas
contrahitur impediens matrimonium contrahen
dum, & dirimens, id est, separans, iam contractũ:
nullus tamen debet bis confirmari, sicut nec bis
baptizari. Nullus, nisi ipse sit confirmatus, alium
ad confirmandum præsentet. Nullus proprium
filium suum, uel è conuerso, nec uir uxorem, uel B
è conuerso in confirmatione teneat, uel præsen-
tet. Non plures unum, uel unus plures confir-
mandos teneat, ne obliuio ex tempore diuturni-
tatis, uel personarum multiplicatione proueniens
peccandi occasionem inducat. Nullus hoc Sacra-
mentum, nisi baptizatus sit, recipiat. Nemo sine
hoc sacramento finire uitam debeat, ideoq; sæpe
dicatur Laicis per presbyteros, ne diu expectent
confirmari: & hoc faciant fieri de pueris suis. Sa- C
nè cũm aliquis in confirmatione Chrismate inun
gitur, caput eius alba tela circumligetur: ne re-
cens defluat, uel deleatur: quæ tela per tres dies,
uel saltem per unum portetur. Et tunc loca dili-
genter premantur tela aquosa, & igne combu-
ratur, & aqua illa in ignem mittatur.

DE POENITENTIA CAPItulum tertium.

A TErtium uerò Sacramentum, est pœnitentia, quæ secundum beatum Gregorium est, Præterita mala deplangere, & plangenda iterum non committere. Debent autem in omni uera pœnitentia adesse tria, uidelicet, cordis contritio, oris confessio, si confitens loqui potest, & operis satisfactio iuxta posse: etiam quartum necesse est, uidelicet firmum propositum ulterius non pec-
B candi. Igitur ne propter uestram desidiam aliquis sine pœnitentia decedat, diligenter cauete: quoniam, secundum Iulium Papam, Sacerdos pœnitentiam negans, reus est animarum. Cauete itaque, & discretè in pœnitentijs imponendis uos habete:ne alios incautè absoluendo uosipsos periculosè ligetis. Porrò iuxta Concilium generale in confessionibus audiendis, & in pœnitentijs imponendis discretum oportet esse Sacerdotem, & cautum: ut more periti medici uinum,& oleum infundat uulneribus sauciati,diligenter inquirens, & peccatorum circumstantias, & peccata,quatenus prudenter intelligat, quod eis debeat præbere consilium, & quale remedium adhibere, Diuersis experimentis ad sanandũ ægrotum

tum utatũr. Caueat autem omnis Sacerdos, ne A
uerbo, uel ſigno, aut alio quouis modo prodat
peccatorem: ſed ſi prudentioris conſilio indiget,
illud abſq; ulla expreſsione perſonæ, cautê requi-
rat: quoniam, qui peccatum in pœnitentiali foro
ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolum
eſt à Sacerdotali officio deponendus, id eſt, de-
gradandus, uerumetiam ad agendam pœniten-
tiam perpetuam in arctum monaſterium, id eſt,
perpetuos carceres, detrudendus. Sanè in abſolu B
tione pœnitentis hæc forma ſeruetur, ut, uideli-
cet ſacerdos confitenti, facta per eum confeſsione
generali, dicendo: Confiteor Deo Patri &c. dicat
ſic: Iniungo tibi pœnitentiam talem, ſiue ſatisfa-
ctionem pro peccatis tuis, quæ mihi cum contri-
tione confeſſus es, & concedo, ut omnia alia bo-
na, quæ feceris, tibi ad peccatorum tuorum re-
miſsionem proficiant. Demum ponat manus ſu-
per caput eius, & dicat: Indulgentiam & abſolu- C
tionem, & remiſsionem omnium peccatorũ tuo-
rum tribuat tibi omnipotens & miſericors Do-
minus, & Ego, autoritate Domini noſtri Ieſu
Chriſti, & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, & beatorũ Apo
ſtolorum Petri & Pauli, ac etiam officio & auto
ritate mihi commiſſa, abſoluo te ab his peccatis,
quæ confeſſus es, & his quæ oblitus es, & reſti-

A tuo te communioni fidelium, ac participationi sacramentorum Ecclesiasticorum, & ita sis absolutus coram Deo & angelis eius, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Demum confessor præcipiat confitenti, ut, si postmodum recordatus fuerit alicuius peccati, quod non fuerat confessus, ueniat ad eum, & confiteatur illud. Nullus alieno Sacerdoti peccata sua confiteatur, à suo sacerdote licentia nõ petita. Quam quidem
B licentiam nullus uestrum requisitus, & rogatus dolosè uel malitiosè denegare presumat. In quibusdam tamen casibus liberè potest quisq; alieno Sacerdoti confiteri, à suo Sacerdote licentia non petita. Primus est, si hoc Episcopus alijs specialiter delegauerit. Secundus, si peccans in alia parochia uult illud sacerdoti illius parochię confiteri. Tertius, si suum domicilium ad aliam transtulit parochiam. Quartus, si aliquis est uagabundus.
C Quintus, si periculum sibi imminet, nec habere potest proprium sacerdotem, quo casu etiam alieno Sacerdoti confiteri potest, imò, & Laico & etiam mulieri. Item confessiones mulierum nõ in loco occulto, sed patenti audiat Sacerdos, nec earum facies uideat, sed caputium uel manus ante oculos teneat, nec alias faciem auertat; si fortè per confessionem mulierum, notabile

pec-

peccatũ audierit, nec ſpuat, nec faciem torqueat, A aut ſignum aliquod faciat, per quod peccatorem terreat, uel rubore aut uerecundia confundat, ita ut reliqua peccata ſibi timeat confiteri uel reuelare. Nullus nominatim excommunicatum, uel interdictum, uel uſurarium manifeſtũ, niſi in mortis articulo, abſq; noſtra licentia abſoluat. Imò, & tunc ſatisfactione competenti præhabita, aut de ſatisfaciendo cautione idonea adhibita, iuxta iuris & aliarum conſtitutionum formam. Illud po- B ſtremo adijcimus: Quòd Sacerdotes plebes ſibi commiſſas frequenter ad confeſsionem & pœnitentiam moneant & hortentur. Ad hoc adijcimus: Quòd Sacerdotes malè ablata incerta ſibi â confitentibus aſsignata, noſtro pœnitentiario exhibere, uel aſsignare non differant, & ea nullus retinere præſumat. Caueat inſuper quilibet Parochialis Sacerdos, ne à Parochianis ſuis in infirmitate conſtitutis, pro Sacramentorum mi- C niſtratione, cenſum uel pecuniam exigere præſumat. Item confeſſor iniungẽs confitenti ſibi, quòd aliquas miſſas faciat celebrare, non offerat ſe ad celebrandum ipſas, ne propter quæſtum eas iniungere uideatur: quãuis alias debeat eſſe beneuolus, & paratus peccatorem erigere, & onus ſuum ferre. Sed nec tacitè nec expreſſè Sacerdos

 aliquid

A aliquid exigat pro pœnitentia quam iniungit, sed cùm confitens proprio motu aliquid offerre uoluerit sibi, recipere non negamus.

DE EVCHARISTIA CAPITULUM quartum.

QVartum autem Sacramentum est Eucharistia. Eucharistia autem Græcè, Latinè dicitur dator gratiæ, uel bona gratia. Fratres itaq; charissimi, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi cum reuerentia sumite: homines fideles manu propria communicate: semper in Ecclesia paratã pro infirmis Eucharistiã habete: ipsamq; sub claui in loco honesto reseruare studete: quã sæpe renouare curate, ne hostia corrumpi possit. Requisiti ad infirmos sine mora festinate, ne sine communione decedant. Eucharistiam in decenti uase deferte, cum suprapellicio albo, uel alio habitu honesto, cum stola, lumine & campanella præcedentibus, quam per uosipsos, ut præmissum est, ferre & deferre curate, & manifestè ante pectus cum omni reuerentia & honore: ut fidelium deuotio augeatur, dicendo in eundo septem Psalmos pœnitentiales. Et dum corpus Domini defertur ad infirmum, ut omnes fideles flexis ge-

nibus illud deuotè adorent, sedulò instruite. Nos A
autem omnibus uerè pœnitentibus, & confessis, in eundo & redeundo reuerenter & deuotè, humiliter illud associantibus, de iniunctis sibi pœnitentijs duodecim dies misericorditer relaxamus. Cum autē semel in anno fideles populi communicare consueuerunt, Parochianos uestros præmonere studete, ne eorum aliquis, in mortali peccato occulto uel manifesto existens, communicare præsumat: alioquin iudicium sibi mandu- B
cat & bibit, id est, etiam damnationem sibi dispo nit. Et si fortè aliquis occultus peccator ad communionē publicè accedere præsumpserit, & uobis de hoc constiterit, priuatò & secretè admonete, ut communicare non præsumat, donec uerè contritus & confessus fuerit: qui si abstinere noluerit, publicè sibi communionem non negate. Si uerò secretè à uobis petierit, à communione eum omnino repellite. Si autem peccatum eius, C
de quo non est uerè confessus, manifestum sit, debet sibi publicè communio denegari. Hostias de alio quàm de puro, & de mundo grano frumenti non facietis, nec aliquid illi admiscere debetis. Si autem uestrum corpus Dominicum in loco inhonesto, & non sub fida custodia, aut infirmis sine decenti illuminatione & apparatu denotato

A tato tenuerit uel detulerit, in floreno uno uſualis monetæ pro qualibet uice, dum contrarium fecerit, mulctetur: cuius medietas Archidiacono ſuo, alia medietas Cameræ noſtræ applicetur, diſtricte mandantes Archidiaconis, ut in uiſitatione de prædictis diligenter inquirant, & nobis ſaltem in Synodo referant.

CAPITVLVM QVINTVM.

B DE extrema unctione, quod eſt quintum ſacramentum, ait beatus Iacobus: Infirmatur quis ex uobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine Domini, &c. Infirmos ergo uiſitate, & oleo infirmorum ungite. Fideles doli capaces, id eſt, quindecim annorum, & ultra exiſtentes ad recipiendam extremam unctionem, per quam maxime

C uenialia delentur peccata, diligenter admonete, & quotienscunque neceſſe fuerit, ut unctionem extremam quis recipiat, ſanitate recuperata, ad opus redire poterit coniugale. Hæc unctio per ſolum Sacerdotem fieri poteſt, ubi alij clerici adeſſe non poſſunt. Nullum inungite, niſi mentis compos exiſtens uerbis aut ſignis duxerit, illud poſtulandum. Manus Sacerdotis ægroti exterius inunga-

tis: quia in ſui ordinatione per Epiſcopum inte- A
rius inunctæ fuerunt. Celeriter ad ægrotum in-
ungendum pergite, ne per ueſtram pigritiam, aut
negligentiã inunctus decedat. Item inuncto con-
ualeſcente, loca inuncta lauentur, & aqua lotio-
nis in ignem mittatur: ſi autẽ decedat, tunc ſecus.
Sub pœna excommunicationis præcipimus, ut
ſacri liquores, ſingulis annis ſecundum ſacrorum
Canonum ſanctiones per plebanos legitimos, ſeu
per eorum Capellanos, à cuſtode, infra uiginti
dies, à die conſecrationis eorundem recipiantur, B
& ſub ſigillo ipſius cuſtodis Eccleſijs proprijs
integrè præſententur, & dicti Plebani ſeu Capel
lani tactis ſacris Euangelijs iurent: Quòd nulli
communicent de eiſdem aut diſtribuant illos, ſi-
ne ſpeciali noſtra licentia, aut uicarij noſtri, ſub
pœna carceris, & priuationis beneficiorum.

SEQVITVR IAM DE ORdine Sacerdotali, Caput ſextum.

DE ordine, qui eſt ſextum Sacramentum, per C
quod ordinato traditur poteſtas ſpiritualis &
officium. Septem igitur ſunt gradus Eccleſiaſtici
ordinis, uidelicet, oſtiarij, lectores, exorciſtæ, a-
coluthi, ſubdiaconi, diaconi, & ſacerdotes, quib⁹

A Canoniſtæ adijciunt Pſalmiſtatum pro primo, & Epiſcopatum pro ultimo, quos duos etiam pro ordinibus ipſi ponunt: & dicuntur hæc Sacramenta, quia in eorum receptione res ſacra, id eſt, gratia confertur, quam figurant ea quæ ibi geruntur: tres tamen ultimi & quartus, uidelicet, Epiſcopatus, dicuntur ſacri ordines, id eſt, ſacra caſtimonia, à caſtitate & continentia appellata. Tales autem ad miniſterium ſpirituale eligendi
B ſunt Clerici, qui dignè poſſunt tractare Dominica Sacramenta. Per tales autem miniſtros Chriſti, qui Spiritus ſancti gratia ſunt decori, doctrina & conuerſationis forma transfunditur in alios, ne cœleſtes margaritæ ſpiritualium uerborum, officiorumq́ue diuinorum ſordidæ, tritę, pedibus conculcentur. Inter alia autem Sacramenta hoc ſeptimum Sacramentum Sacerdotij maiori autoritate, & dignitate dandum & accipien-
C dum eſt: quū alioquin Deo deſinit eſſe gratum, ſi non fuerit ritè perfectum. Cætera autem Sacramenta, unicuiq; propter ſe dantur, & unicuiq; talia fiunt, quali corde uel conſcientia accipiunt: illud duntaxat Sacerdotium, non propter ſe ſolùm, ſed etiam propter alios datur. Et ideo neceſſe eſt, ut quilibet uero corde, mundaq́ue conſcientia, quantum ad ſe, Sacerdotium accipiat: ad alios uerò

uerò non solùm sine omni culpa, sed etiam sine A
omni infamia propter fratrum scandalum, ad
quorum utilitatem non solum, ut pręsint, imò e-
tiam, ut prosint, Sacerdotium datur: quia media-
tores sunt Sacerdotes inter Deum & homines,
dum præcepta Dei populo deferunt prædican-
do & docendo, & uota populi Deo porrigunt
supplicando. Et ideo tales debent existere, ut &
Deo grati, & hominibus sint accepti. Deniq; si
mediator non est bonus, discordes reconciliare B
non potest, quia simul utrisq; non sociatur, qui
amicitiæ uinculo non est concors.

DE SACRAMENTO MATRI-monij Caput septimum.

EST etiam septimum Sacramentum, scilicet Ma-
trimonium, circa quod est sciendum, quòd aliud C
sunt Sponsalia, & aliud Matrimonium. Sponsa-
lia nanq; sunt futuri matrimonij repromissio. Vt
si aliquis dicat: Promitto tibi, quòd contraham
tecum matrimonium: & si post huiusmodi spon-
salia carnalis copula subsequatur, est matrimoniũ
inter tales, iuris interpretatione. Matrimonium
autem est masculi & fœminæ legitima coniun-
ctio, indiuiduam uitæ consuetudinem retinens,

A quod per uerba contrahitur, consensum exprimentia de præsenti. Vt si quis ita dicat: Accipio te in meam, uel si quæ dicat: Accipio te in meum, uel uerba æquipollentia. Aetas autem legitima ad matrimonium contrahendū, est in uiro quartus decimus annus: in fœmina uerò duodecimus annus completus. Illud tamen est notandū, quòd malicia quandoq; in utroq; supplet ætatem. Ita quod ex corpulentia & sagacitate tam masculi
B quàm fœminæ iudicabitur, dato etiam quòd sint minores. Matrimonia igitur clandestina fieri prohibete. Ipsa quoq; ante nubilem ętatem in Ecclesia solennizare nolite. Item nuptiarum solennitatem & benedictionem certis anni temporibus facere nolite: scilicet, à prima Dominica Aduentus Domini usque ad octauam Epiphaniæ, à Septuagesima usque ad octauam Paschæ, & à Dominica ante rogationes usque ad proximam Do
C minicā post Penthecostes exclusiuè. In qua quidem Dominica & pòst, licitè fieri possunt. Nullus Sponsus in uxorem recipiat aliquam de consanguinitate prioris Sponsæ, uel è conuerso: & copulam carnis prohibete, ne ad sui sanguinis fœminam usq; ad quartum gradū inclusiuè quisq; carnaliter accedat, aut cum ea matrimonium contrahat. Et sub excommunicationis pœna talibus

reli-

religionem intrare, uel castitatem seruare persua- A
dete, aut matrimonium deinceps contrahere pro-
hibete, licet contractum teneat. Nullum contra-
here matrimonium cum ea, quam pater eius ba-
ptizauit, etiam si fuerit Sacerdos baptizans, aut
etiam quam ipse proprijs manibus baptizauit,
aut in baptismo tenuit, permittite. Omnes tamen
filij & filiæ duorum compatrũ & commatrum,
siue ante compaternitatem, siue pòst geniti fue-
rint, possunt inter se matrimonialiter copulari. Il- B
la tamen persona duntaxat excepta, per quam
compaternitas est contracta: quoniam illa alicui
filiorum sui compatris uel commatris matrimo-
nialiter copulari nõ potest. Nullum quoq; cum
matre, uel cum filia spirituali matrimonium sinite
contrahere. Sed si iam, matrimonio contracto,
uir tenet in baptismo, uel in confirmatione filium
uxoris suæ, uel è conuerso, uel proprium filium,
non separatur propter hoc matrimonium, siue C
illud ex ignorantia, siue ex malitia fiat: cum filia
autẽ compatris sui, non tamen cum illa, per quam
compaternitas est contracta, sed cum alia nõ pro-
hibetur quis matrimonium contrahere, quamuis
honestum sit abstinere. Nec mulier quantum-
cunq; annorum numero, & quantumcunq; uir
eius absens fuerit, donec ei de morte uiri constet,

A matrimoniũ cum illo contrahere poteſt, & idem eſt in uiro obſeruandum.

DE INTERDICTIS CA- pitulum octauum.

ET quoniam percepimus, proh dolor, quoſdam Eccleſiarum rectores tantæ cupiditatis, & auaritiæ ſcrupulo accenſos eſſe, quòd præfata à iure introducta tempora minimè aduertentes, cer B ta pecunia, uel aliquo munere acceptis, licentiam prædictis interdictis temporibus ducendi uxorem, uel nuptiarum ſolennitates celebrandi concedere non uerentur (quam licentiam etiam nos concedere minimè ualemus) ideo quicunq; plebanus uel uiceplebanus, aut alius curã habẽs animarum, de cætero præſumpſerit in ipſis interdictis à iure temporibus licentiam uxorẽ ducendi, uel C nuptiarum ſolennitates celebrandi conceſſerit, ipſum tenore præſentium ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendimus. Quam ſuſpenſionem ſi uiolauerit, non habita abſolutione ab hac ſede noſtra Nitrieñ. ipſum ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc irregularitatis incurriſſe maculam, hoc præſenti noſtro declaramus edicto. Si quis uerò prædictorum ſuæ ſalutis, & ſtatus im-

immemor, quicquã pro huiusmodi licentia uxo- A
rem ducendi, uel nuptiarũ solennitates celebran-
di accipere, uel promissionẽ de dando præsum-
pserit, ipse Simoniacam prauitatem se damnabi-
liter nouerit incurrisse. Omnibus & singulis Ar-
chidiaconis & alijs, quibus subditorum uisitatio
competit, districtè mandamus, quatenus in uisi-
tationibus eorum de talibus inquirant, & nobis
uel uicario nostro denunciare non omittant.

QVia iam, proh dolor, temporibus nostris, B
plures Sacerdotes, & in sacris ordinibus
constituti, ad tantam maliciam ac lenitatis demen
tiam deuenerunt, ut adulentur secularibus, & cle
ri inimicis, per uicos & plateas, ædes, & tabernas
de casu leuium personarum, & periculo clerico-
rum gloriantibus: & quia hoc modo famam &
honorem Ecclesiasticarum personarum lacerant:
ac insuper dimissis iudicibus eorum ordinar. in C
spiritualibus, refugium habent ad seculares, &
iudices terrestres. Imò & suorum Prælatorum
per detractionis derisionem, in complacentiam
inimicorum Cleri, deturpare, denigrare, & con-
fundere, in suam propriam & totius Cleri confu-
sionem, minimè uerentur. Mandamus igitur om-
nibus uice Archidiaconis sub pœna excommu-
nica-

A nicationis, quòd si talem cum notabili proba deprehenderint, mox illũ suo Archidiacono reuelare procurent, ut ipse Archidiaconus eundem Episcopalibus carceribus tradat, absq; omni misericordia mancipandum.

DIstrictè præcipien. sub pœna excommunicationis inhibemus, ne plebani confirmati, non obtenta prius à nobis aut uicario nostro licentia
B speciali, ab Ecclesijs suis quouis modo recedere, & easdem dimittere præsumant infra triennium, à tempore institutionis ipsorum, nisi ex causis rationalibus & legitimis, quas præsens coram nobis, aut uicario nostro, personaliter constituto allegare & exponere debebunt & tenebuntur, & tandem desuper licentia obtenta resignare in ma-
C nus ordinarij & dimittere poterint.

DE NVPTIIS CAPItulum nonum.

VErum, quia quosdam laicos intantum Satanas suo subiecit dominio, quòd statutis Ecclesiæ sacræ contemptis, carnales copulas & solennitates nuptiarum his sacris temporibus, ab Ecclesia ob reuerentiam Dei interdictis, incircumci-

sis

ſis animabus indurati, confirmare & arctare: ple- A
banosq; & Eccleſiam infeſtare damnabiliter con-
ſueuerunt (quibus tamen agenda ad hæc prolixa
ſunt tempora conceſſa) ac huiuſmodi, ſcilicet ma
trimonij ſanctum Sacramentum (quod licitè, &
cum merito tempore congruo à Deo conceſſum
fuerat) diabolo libantes, peccato mortali inficere
non uerentur. Volentes igitur quantũ cum Deo
poſſumus hanc damnatam abuſionem pœnæ e-
tiam adiectione extirpare, ſtatuimus, quòd qui- B
cunq; laicus de cætero ipſis interdictis à iure tem
poribus matrimonium conſummare, uel nuptia-
rum ſolennitates celebrare, de facto præſumpſe-
rit, decẽ florenorũ auri puri, uel plus aut minus,
ſecundum facultates eorum, pœna Cameræ no-
ſtræ applicanda, mulctetur: & nihilominus hu-
iuſmodi exceſſus abſolutionem ſedi noſtræ re- C
ſeruañ.

DE BANNO MATRIMO- nij Capitulum decimum.

QVodq; etiam plurimum accidit, quòd ad-
uentantes de longinquis partibus dimiſsis uxori-
bus primis & ultimis, atq;, ut iſtis utamur uer-
bis, quorum noticia & ſtatus penitus ignoratur,

A non aduertentes salutem animæ, sed amplexus adulterinos, & carnis desideria amantes, ad uota illicita se transferre non uerentur: plebani quoque & alij uiri Ecclesiastici, curam animarum habentes, interdum ex inaduertentia, aliquando uerò muneribus, & alijs terrenis excæcati, absque banno, hoc est, trina monitione, circa solennitates matrimoniorum in Ecclesijs eorum de iure fiendas, aut scrutinio de notitia contrahendorũ omissis.
B in facie Ecclesiæ matrimonia solennizant, ac fieri permittunt, & consentiunt: ex quibus multa pericula animarum apud laicos sæpenumero usque ad mortem eueniunt: uolentes talibus periculis, & scandalis per remedia oportuna salubriter prouidere, omnibus & singulis presbyteris in & sub diœcesi ac iurisditione Nitrieñ. commorantibus mandamus, in uirtute salutaris obedientiæ, & sub pœna suspensionis à diuinis, quam suspen
C sionem nisi feceritis, uel alter uestrum fecerit, quod mandamus modo inmediatè subscripto, in uos & uestrum quemlibet, ferimus in his scriptis: & si durante huiusmodi suspensione uos, uel alter uestrum, missis alijsque diuinis immiscueritis, siue alter uestrũ immiscuerit, irregularitatis pœnam præsenti statuto incurrisse declaramus, ac incurrere uolumus ipso facto, ut bannum siue trinam

mo-

monitionem faciatis in Ecclesijs uestris, ante ma- A
trimoniorum solennitates tribus diebus festiuis.
Si uerò fieri potest infra spacium quindecim die-
rum, antequam à contrahentibus solenne iura-
mentum in facie Ecclesiæ receperitis: illo deniq;
eis declarato, si essent adeo noti, atq; nobili prosa-
pia orti, quorum noticia uera, & eorundem pa-
rentum haberetur, pro quibus parentes & con-
sanguinei propinquiores, fidem facerent, in eo, ut
nullum impedimentum legitimum ipsis contra- B
hentibus obesset, semper scrutinio prœmittente,
Matrimonia siue sponsalia in facie Ecclesiæ solen
nizare præsumatis. Forma autem banni siue tri-
næ monitionis huiusmodi hæc est. Paulus filius
T. uel talis, uult contrahere matrimonium cum
Ka. filia Ioannis de tali uilla, tali die. Ideo si quis
habet causam rationabilem cur fieri non debeat,
ueniat & dicat. Secundo die festo similiter. Ter- C
tio quoq; simili modo, quando uidelicet solenni-
ter contrahere uolunt. Huiusmodi autem Ban-
num siue trinam monitionem coram populi mul
titudine in Ecclesia, uel in sermone præmittatis. Si
quis cõtra huiusmodi nostra statuta uenerit, pœ
næ suspensionis præfatæ subiectus sit ipso facto.
Quod statutum perpetuò duraturum in Eccle-
sia præfata Nitrieñ, apud alia statuta manere uo

 lumus:

A lumus: atq; omnibus curatis in diœcesi Nitrien. ac iurisdictione constitutis, & commorantibus, etiam non curatis, obseruare sub pœnis interdicti, præmissis, ac unius Marcæ puri argenti Cameræ nostræ, & suo Archidiacono: si quos autoritas Archidiaconorum comprehendet excedentes.

DE CVSTODIA SACRAmentorum Capitulum undecimum.

B SEcundò quoq; illa scientia uos conuenit exornari, quæ in cauta custodia Sacramentorum cõsistit. Nullam ergo fœminã ad altare ministrare, uel calicem Domini tangere permittite. Altare mundis linteis cooperite, quæ simul cum uestibus sacerdotalibus saltem bis in anno lauentur.

C Super Altare nihil nisi capsas, & reliquias, ac cruces, libros officio tunc necessarios, candelabra, & pixidem pro corpore Domini poni sinite. Libros Ecclesiasticos sufficientes habete. Vasa sacra propriis manibus abluite & abstergite. Ecclesiæ sint bene mundæ, & coopertæ, & earũ atria undiq; bene ornata, & decenter custodita. Pertinentia in ministerium altaris, utputa corporalia, pallæ, &

uesti-

uestimenta ministeriorum, ac etiam ornamenta A
Ecclesiæ, munda seruate. Indecens enim est in sa-
cris sordes ingerere, quæ dedecus faciunt, etiam in
prophanis. Corporalia à solis sacerdotibus, &
diaconib⁹ lauētur, et in uase in quo nihil aliud fiat,
& aqua ablutionis intra Ecclesiā in loco, ubi con
culcari non posit, fundatur. Palla uerò potest à
clericis inferioribus lauari. Vestimenta ministe-
riorum si fuerint uetustate consumpta, nec alijs
usibus Ecclesiasticis sint apta, comburantur, & ci-
neres intra Ecclesiam recondantur, ubi nequeant B
pedibus transeuntium conculcari.

DE CELEBRATIONE DIVI-norum officiorum Caput duo-decimum.

ILlá deniq; scientia tertiò Presbyteros expedit
esse ornatos, quæ in diuinorū officiorum celebra C
tione consistit. Omni ergo nocte indefessè ad ma
tutinum surgite: cursum uestrum horis compe-
tentibus decantate uel perlegite. Sciant etiā Dia-
coni, & subdiaconi, ac clerici in minoribus, si sint
beneficiati, ad dicendas horas Canonicas se tene-
ri. Missarum celebrationes deuotè & religiosè
perlegite. Nullus plures missas una, & eadem die

A celebrare debeat, niſi in feſto Natiuitatis Domi-
ni, & alijs caſibus conceſsis à iure: & tunc non, ni-
ſi in ultima uinum uel aquam perfuſionis ſumat.
Nam poſt ſumptionem illius ieiunus non eſſet.
Nullus Sacerdos ſolus miſſam dicat, ſed unuſ-
quiſq; clericum, uel ſcholarem habeat, qui ſibi ad
miſſam reſpondeat, & cum quo ſi uoluerit Pſal-
mos dicat. Omni die Dominica, exceptis Domi-
nicis Paſchæ & Penthecoſtes, aquam benedica-
B tis & altaria, & plebes ueſtras aſpergite: ad quod
peragendum uas decens habete. Orationes miſ-
ſarum, pręfationes, & Canonem bene intelligere,
ac diſcretè, & memoriter ſcire proferre ſtudete.
Plebibus uobis commiſsis de Epiſtola, Euange-
lio, uel alia ſacra ſcriptura diebus Dominicis &
feſtiuis, aliqua prudenter enunciare curate. Epi-
ſtolam & Euangelium bene legere, & populo
ad literam exponere, ſcire ſtudete. Pſalmos & a-
C lios uerſus, & eorum diſtinctiones, cum ſolitis
canticis, ſcire procurate. Symbolum Athanaſij
quod incipit, Quicunq; uult, &c. de fide catholi-
ca, exorciſmos ſalis & aquę, ſeptem Pſalmos pœ-
nitentiales, atq; preces memoriter tenete. Ordi-
nem etiam baptizandi, & reconciliandi ſecundum
Canonum autoritatem, & formam ungendi in-
firmos, & orationem in exequijs mortuorum
agen-

agendam, & alia similia habere & scire studete. A
Nullus clericus, nisi Sacerdos fuerit, catechizet, uel baptizet, aut aquam Dominicis diebus exorzizet, uel mortuos sepeliat. Diaconus autem in mortis articulo, ubi Sacerdos haberi non potest, hoc facere potest. Et nullus prius nisi dicto, uel audito matutino & primæ officio, missam dicat. Nullus etiam post sumptum cibum, potumq́ꝫ, quantumcunqꝫ modicum, missam audeat celebrare. Nullus nisi nocte dormiuerit, & digestione celebrata, missam mane celebrare præsumat, quo- B
niam non intelligitur esse ieiunus. Sed si digestio celebrata sit, quamuis dormitio non præcesserit, poterit celebrare. Si uerò dormitio præcesserit, & digestio celebrata non sit, missam celebrare non licet. Nemo in mortali peccato constitutus, missam celebrare præsumat, sed prius confiteatur, si inuenitur Sacerdos, & si inueniri non potest, non celebret. Nisi fortè causa urgens, & necessitas immineat, quæ sine graui scandalo præteriri nequeat: & tunc adsit contritio & propositum confitendi. Quia uerò missæ officium inter C
cætera diuina officia, est excellentius, meritò & deuotius, & cum cautelæ studio, ac uniformiter conuenit celebrari. Circa quod tamen tam in audiendo, quàm in dicendo à multis multotiens er-

ratur

A ratur incautè. Idcirco ſtudeant Sacerdotes miſſam iuxta ritum debitum, & ſolitum Eccleſię morem ſcire per omnia obſeruare: quoniam ſi reperti fuerint circa illud incautè & minus prouidè ſe habere, grauiter punientur iuxta delictorum exigentiam oportunam.

DE SIMONIA VITANDA & Parochianis in peccato exiſtẽ, Caput decimumtertium.

B QVartò illa ſcientia ornatos uos eſſe oportet, quæ in animarum atq; Eccleſiarum regimine, ac diſpenſatione conſiſtit. Nullus itaq;, propria Eccleſia dimiſſa, aliam gratia quæſtus requirat. Nullus per potentiam ſecularem Eccleſiam teneat. Adulteros manifeſtos & concubinarios, ut reſipiſcant, admonete. Quòd ſi contempſerint, nobis uel uicario noſtro denunciare curate. Prę-
C textu cuiuſcunq; conſuetudinis ſacrum Chriſma uendere, uel pro baptizandis infantibus, aut pro reconciliandis peccatoribus, uel infirmis, uel pro teſtimonio pœnitentiæ, uel reconciliationis ferendo: aut pro mortuis ſepeliendis: aut pro pœnitentia, aut benedictionibus nubentium, ſeu pro quibuſdã alijs Eccleſiaſticis ſacramẽtis pretium,

aut

aut præmium,uel promiſsionem exigere,uel ſur- A
ripere nolite: ſed gratis & liberaliter huiuſmodi
ſacramenta præbete,attendentes quòd ſcriptum
eſt: Gratis accepiſtis, gratis date. Ex poſt tamen
gratanter, & cum magna gratiarum actione po-
teſtis recipere, quæ ſponte & uoluntate uobis à fi-
delibus, non ex debito, ſed beniuola deuotione
offeruntur: ad quod etiam poſtmodum à uobis
de iure cogi poſſunt,ſi diu fuerit conſuetum.

DE SEPVLTVRIS, ET QVI ſunt in cœmiterio ſepeliendi,& qui non, & quibus denegari debeant Sacramenta Caput XIIII. B

SAnè ſi mulier ſtante matrimonio,uel etiam ſo-
luto ſine electione ſepulturę obierit,in cœmiterio
Eccleſiæ parochialis, & in ſepulchro uiri præ-
mortui tumuletur: poteſt tamen ubi maluerit eli- C
gere ſepulturam. Laicum intra Eccleſiam abſq;
noſtri licentia ſepeliri prohibemus, niſi patronus
eiuſdem Eccleſiæ fuerit, aut pro fabrica eiuſdem
Eccleſiæ aliquid dederit. Si quis autem huiuſmo-
di noſtræ prohibitionis tranſgreſſor fuerit, in u-
na marca uſuali mulctetur, cuius medietas Came-
ræ noſtræ applicetur,alia medietas Archidiaco-

A no suo, quem monemus, ut in uisitatione diligenter inquirat, & quicquid ratione sepulturæ inuenerit, nihilominus fabricæ illius Ecclesiæ applicamus. Debent autem Ecclesiastica Sacramenta denegari hæreticis, paganis, Iudæis, & omnibus extra fidem Catholicam constitutis, nec non excommunicatis maiori excommunicatione, & interdictis, atque his, qui in tormentis moriuntur, & insuper usurarijs, prædonibus, raptoribus ma-
B nifestis: nisi pœnituerit, uel usuras uel rapinas restituerit, uel de restituendis securitatem præstiterint secundum formam iuris. Si uerò prædicti non haberent in facultatibus tempore mortis suę unde restituere possent, non debet quilibet usurarius prædicta pœna puniri. Raptori uerò qui in sanitate nō pœnituit, uel emendauit, & in morte securitatem pręstare nequiuerit, cœmiterium ei negetur. Clerici autem qui interfuerunt sepultu-
C rę, debent deponi ab officio, uel beneficio, nullus tamen clericorum illius sepulturæ intersit. Item illis, qui se suspendunt, uel præcipitant, uel gladio uoluntariè se perimerunt, nisi in morte signa pœnitentiæ in eis apparuerint, manifestè denegetur sepultura. Et generaliter omnibus, quos constat in mortali peccato decessisse.

DB

DE DECIMIS, ET QVALITER A non soluentes debeant puniri, & qui interdictum non seruauerint, Caput XV.

CAEterum cùm decimæ ex præcepto diuino debitæ sint, quæ sunt tributa egentium animarum, moneatis plebes uestras, ut integraliter eas soluant nobis, & illis quibus debentur iuris dispositione, uel consuetudine mediante, quibus, uel eorum aliquibus non soluentibus, iuxta quod B receperitis à nostris decimatoribus in mandatis, inuiolabiliter interdictum, uel aliam Ecclesiasticam censuram, studeatis obseruare, quo interdicto, uel suspensione, uel alia censura durante, diuinis uos officijs, sicut prius, immiscere cauete, ne irregularitatem incurratis, à qua non nisi per pœnitentiam dispensationis beneficiũ poteritis obtinere. Si qui autem ex uobis temeritate propria C in posterum huiusmodi censuras ob causam non solutionis decimarum, seu aliorum iurium nobis debitorum, aut quamcunq; aliam impositam non curarent obseruare, cũm ex hoc rũpatur neruus Ecclesiasticæ potestatis, cõmittimus, ut propter irregularitatem ex hoc contractam incarcerari, & bonis omnibus per uicarium nostrum ua

A leant spoliari, ac de eorum Ecclesijs turpiter excludi, quibus de alijs personis idoneis, obseruato ordine debito, debeant prouidere. Si quos autem ex uestris parochianis sciueritis decimas, qui bus tenentur, non soluisse, & publicatum extiterit, eosdem ad pœnitentiam uel communionem nullatenus, etiam in mortis articulo, admittatis: excepto si non habuerint unde satisfaciant de eisdem. Si autem publicatum non est, tales, qui in B confessione reuelarent, etiam ad communionem ipsos admittere nullatenus debeatis, nisi nobis, aut nostris decimatoribus satisfecerint de eisdē.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS duplici, maiori & minori, ac alijs censuris & effectu utriusq; excommunicasionis, Caput XVI.

C Circa censuram Ecclesiasticam autem sciendum est, quòd sub hoc nomine censura, excommunicatio, interdictum, uel suspensio, intelliguntur. Excommunicatio autem duplex est, scilicet, maior & minor. Maior est, cum prælatus anathematizat aliquem extinctis candelis, pulsatis campanis: uel ob causam aliquando ipse, uel alter potestatem habens, fert in aliquem excommunicationis

tionis sententiam etiam prędicto ordine non ser- A
uato, & ista separat excommunicatum à commu
nione fideliũ, ac participatione Ecclesiasticorum
Sacramentorum, & ab ingressu Ecclesiæ: sed nec
iuxta Ecclesiam debet stare excõmunicatus, dum
diuina officia celebrantur. Minor uerò excom-
municatio contrahitur, cum aliquis participat
cum excommunicato maiori excommunicatio-
ne. Et hæc remouet à perceptione Sacramento-
rum uel Eucharistiæ, donec fuerit absolutus. Imò B
clericus uel laicus cautè agit, si non intrat Eccle-
siam sic ligatus, sed in cœmiterio dicat officium
suum, si est clericus, donec fuerit absolutus. Et qui
prohibetur à perceptione Sacramentorum, licet
grauiter peccet intrando Ecclesiam, uel celebran-
do missam, nullam tamen irregularitatem incur-
rit. Peccat etiam conferendo Ecclesiastica Sacra-
menta, sed ab eo collata, uirtutis non carent effe- C
ctu. Clericus uerò sciens se excommunicatũ ma-
iori excommunicatione, interdictum, uel suspen-
sum ab officio, & ante absolutionem officia diui-
na celebrans, sicut prius dictum est, irregularita-
tem incurrit, super quo solus Papa potest cum
eo dispensare. Extra Ecclesiam, si est in sacris or-
dinibus constitutus, tenetur nihilominus sub si-
lentio, sicut & clericus depositus, dicere horas

A ſuas. Sententia autẽ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti tolli poteſt per eum, qui eam tulit, uel per eius ſuperiorem: non autem per ſimplicem Sacerdotem. Porrò cum aliquis fuerit excommunicatus maiori excommunicatione, & debebit abſolui, hanc formam abſoluendi ab omnibus uolumus inuiolabiliter obſeruari, uidelicet: quòd abſoluens, iuramento ab excommunicato recepto de parendo mandatis Eccleſiæ, & hoc pro pœnitentia iniungat, & uirgam, ſeu baculum in manu tenens, ſuper eum genu flexo, cum ali-
B quibus uirgæ uel baculi percuſsionibus, dicat Pſalmum: Miſerere mei Deus, Deus miſereatur noſtri, cum Gloria Patri, & Kyrie eleiſon ac Pater noſter, uerſiculo: Saluum fac ſeruum tuum Domine Deus meus ſperantem in te. Nihil proficiat inimic⁹ in eo, & fili⁹ iniquitatis nõ appo. noc. ei. Eſto Domine ei turris fortitudinis, à fa. ini. Dominus uobiſcum. Oremus. Deus cui pro-
C prium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut hunc famulum tuum, uel ancillam, quem uel quam excommunicationis cathena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſol. per Chriſtum D. n. &c. Oremus. Præſta quæſumus Domine huic famulo tuo dignæ pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cuius

inte-

integritate deuiauerat peccando, admissorum ue- A
niam consequendo, reddatur innoxius, per Christum D.n. Et postea absoluat eum, dicens: Autoritate Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, qua fungor, & Ecclesiæ suæ sanctę, absoluo te ab excommunicationis uinculo, quo ex tali casu, & actione contumaciæ, & non paritione iuris ligatus eras, & restituo te communioni & participationi Ecclesiæ, & omniũ fideliũ & Ecclesiasticis sacramentis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amē. Et pręcipio B
tibi, quòd de cętero talia, & his similia non committas. Porrò absoluens à minori excommunicatione, excommunicati uerò confessione audita, absq; solennitate aliqua sic dicat: Autoritate Dei omnipotentis, absoluo te à uinculo huius minoris excommunicationis, quam mihi confessus es, & à qualibet alia, si teneris, in quantum possum & debeo, & restituo te Ecclesiasticis sacramentis. C

DE HABITV CLERICOrũ & qua pœna puniantur contra faciẽn. Caput XVII.

PRouideamus etiã circa honestatẽ clericorũ salubriter, q̃ oẽs clerici, singulęq; personę Ecclesiasticæ,

A ſticæ, tam præſentes quàm futuræ noſtræ ciuitatis & diœceſis, tonſuram & habitum deferant clericales, ordini ſuo ac ſtatui competentes, ueſtes uariegatas, ſeu diuerſi coloris minimè deferentes, deprehēſoſq́ in aliquo crimine uel exceſſu enormi contra hoc publicè incedentes, ex nunc pronunciamus tales, ut clericos ſiue perſonas Eccleſiaſticas non fore per noſtram curiam defendendos, &, ne circa habitum deferendum à clericis

B in quouis ſtatu uel ordine conſtitutis, ſecularibus uel regularibus poſsit ignorantia allegari, ſtatuimus, quòd omnes tam dignitates in Eccleſia noſtra habentes, quàm Canonici ſeu Sacerdotes noſtræ diœceſis, & clerici abſq́ tabardis, aut chlamidibus, aut detecta corona, publicè nō inceſdant, aliter autem curialiter incedere poterint: ut cum eos contigerit equitare extra loca ſua. Religioſi autē deferant ueſtes aptas ordini ſuo. Con-

C trafacientes autem ex nunc committimus per noſtrum uicarium, prout expedit puniendos.

DE CLERICIS CONCVBINArijs, & pœna qua ſint puniendi, & quales mulieres in domo poſſunt habere, Capitulum XVIII.

Pro-

PRoinde etiam ordinamus super continentia A à clericis obseruanda, ita uidelicet: quòd nullus Sacerdos seu clericus, in dignitate uel personatu constitutus, aut Canoniam seu Rectoratum alicuius Ecclesiæ habens, aut quicunque in sacris ordinibus constitutus in domibus Ecclesiæ, maximè illi contiguis uel connexis, aut alias ubicunque sub nomine suo mulierem aliquam retinere præsumat, nisi fortè mulier esset, quæ de incontinentia non esset suspecta, aut in gradu consanguinei- B tatis proximo foret illi cōiuncta. In hoc uerò delinquentes, scilicet clericum, & Sacerdotē in quouis beneficio Ecclesiastico cōstitutū, qui focarias, seu cōcubinas, aut in domibus Ecclesiæ, aut suis, aut aliorum, suo nomine manifestè retinuerint, modo supradicto in quinque marcis usualis monetæ condemnamus, quarum medietas Cameræ nostræ C applicetur, alia Archidiacono suo. Cui in uirtute sanctæ obedientiæ iniungimus, ut in uisitatione de talibus diligenter inquirat, & nobis aut uicario nostro referat. Si autem, post dictam correctionem, per mensem durauerit, ipsum ab officio & beneficio suspēdimus. Quā suspensionem per alium mensem, si sustinuerit, ipsum excommunicamus in his scriptis. Quam excommunicationem, si, per alium mensem immediatè sequentem,

A sustinuerit, ipsum beneficijs, & officijs, & dignitatibus Ecclesiasticis, quae in Ecclesia nostra, ciuitate, seu dioecesi, aut iurisditione obtinet, declaramus fore priuatum ipso facto: quorum prouisionem nobis ac nostris successoribus reseruamus, facto praedicto, in quantum existente notorio iuris uel facti, ita quòd excusationi, inficiationi, seu denegationi, locus penitus nō existat. Qui autem beneficium non haberet Ecclesiasticum, hunc poena pecuniaria ultra praedictam, per nostrum uicarium committimus puniendum, aut diris carceribus mancipandum.

B

ADDITIO DE CONCVbinarijs.

QVanquã nostris Archidiaconis, & alijs personis Ecclesiasticis nostrae dioecesis & iurisditionis, quibus ius uisitandi Ecclesiarum rectores sibi subiectos quomodolibet competit, aequitate seruata, ut audiuistis de medietate poenae prouisum fuerit, ut districtus & archidiaconatus suos possent à concubinarijs, & alijs facinorosis purgare criminibus, tamen quidam ipsorum, ut sumus edocti, auaritiae ducti caecitate, quę sua sunt, non quae Iesu Christi quęrentes, in animarũ suarum

C

rum, & sibi commissarũ periculum, pœnamq́ prædictam pro se usurpantes, nobis aut uicario nostro minimè denunciant; Cameram nostram defraudãtes: & quod deterius est, criminosos in suis excessibus permanere permittentes, ut eos liberius emungant, & nulla sequatur correctio, solum aliquos pauperes denunciando, & aliquando alios ex odio, quos non possunt ad uoluntatem suam exactionare & spoliare, per Synodales testes exradari faciendo. Quidam etiam prædi- A
dictorum Archidiaconorum, & personarum Ecclesiasticarum dignitates, & præsidentias eorum quæstum putantes, in grauamen Ecclesiarum sibi subiectarũ, cum uiginti aut pluribus equis, quos aliqui tempore uisitationis fiendæ impudẽter accommodant, cum famulis incompositis, cum canibus uenatorijs, & auibus uisitant Ecclesias, & plebanos eorum spoliando magis, quàm corrigendo, aliquando uerò per Capellanos & familiares, quod eis non liceret, uisitant Ecclesias, & plebanos multipliciter uexando & spoliãdo, idq́ in scandalum Ecclesiasticæ honestatis non modicum. Nolẽtes igitur talia sub dissimulatione pertransire, sed sicut ex debito nostræ solicitudinis tenemur de remedio prouidere oportuno, habita cum fratribus nostris de Capitulo Nitrieñ.

A matura deliberatione, hac ſacra approbante Synodo ſtatuimus & decernimus, ſacrorum Canonum ueſtigijs inhærentes, quòd quilibet Archidiaconus, aut alia perſona Eccleſiaſtica, quibus de iure uel de conſuetudine legitima ius uiſitandi ſibi ſubiectas Eccleſias competit ſingulis annis, ſemel tantum, per ſe & non per alium uiſitare ſibi ſubiectas Eccleſias teneatur: In qua uiſitatione numerum octo equorum non excedat, niſi fortè B ubertas Eccleſiæ uiſitandæ aliud induceret (& de hac uiſitandus ſe grauatum prætendere non poſſet) uel niſi uicearchidiaconum illius diſtrictus, ſecũ pro informatione habere uelit, qui ultrà quàm duos equos habere non poſsit. Nec tamen per hoc illi Archidiaconi uel uiſitatores, qui hactenus paucioribus equis uti ſolebant plurium equorum credant ſibi in uiſitatione poteſtatem indultam. In qua uiſitatione inter alia de ſtatu Eccle-C ſiarum, plebanorum, & parochianorũ ſe diligenter informent: concubinarios, & alios facinoroſos, ac cæteros defectus Eccleſiarum fideliter regiſtrando, & demum per ſe non per teſtes Synodales, quando Synodus celebratur nobis, quando uerò Synodus non celebratur, uicario noſtro fideliter, & conſcientioſè aſsignare debeant, & teneantur: ut ſic exinde ſequi debeat debita & iuſta cor-

correctio & emendatio. Parati enim sumus de A
medietate pœnæ ipsis debenda obseruare consti-
tutionem prædictam. Si quis uerò deinceps con-
trarium attentare præsumpserit uel à publicis con
cubinarijs, uel alijs manifestis facinorosis aliquid
exegerit ob non accusandum, uel deferendum, ut
præmittitur, uel promissionem acceperit aliquam,
uel per aliũ uisitare præsumpserit, uel numerum
equorum transcenderit prætaxatum, ipso facto,
sententiã suspensionis ab officio & beneficio in-
currant. A qua absolui non possint, nisi duplum B
eius quod acceperint restituãt, & satisfaciant Ca-
meræ, cuius dupli medietas denuncianti nobis,
uel uicario nostro applicetur, scituri, quòd si du-
rante dicta suspensione se diuinis immiscuerint,
erunt ipso facto irregulares, & meritò nos ad
prouisionem beneficiorum suorum alijs fiendam
procedere poterimus. Sciant insuper omnes præ
fati, quòd durante dicta suspensione suorum be- C
neficiorum fructus non faciunt suos, sed eos ex
tunc prout ex nunc, & ex nunc prout ex tunc ad
fabricam Ecclesiæ nostræ reseruamus. Ne autem
plebani, si qui exempti sub nostra iurisditione fue
rint, possint se sine uisitatione, & correctione eua-
sisse gloriari. Singulis annis de uisitatore idoneo
ipsis plebanis exemptis prouidere intendimus,

A qui iuxta prædicta & Canonum sanctiones eos uisitare debebit, & nobis in Synodo quando celebrabitur, aut uicario nostro in scriptis fideliter et conscientiosè referre tenebitur.

QVOD CLERICI IN DOMIbus eorũ uinũ non tabernent, nec officiolatũ laicorũ recipiãt, Cap. XVIIII.

B DEcreuimus insuper in præsenti Synodo, quod nulla persona Ecclesiastica nostræ ciuitatis, Dioecesis & iurisditionis, mercationibus, & negociationibus laicalibus se publicè immiscere præsumat, illa in sua persona exercendo, uel per alios pro laicorum scandalo exerceri faciendo, aut exequi mandando, nec officium publicum, seu officiolatum alicuius laici temporale in seculari curia exercere debeat, nec uinum minutatim in doC mo sua audeat propinare, ut in taberna fieri consueuit, seu leues, uiles uel suspectas personas hospitare, aut cum ipsis modo aliquo conuersari. Delinquentes autem in talibus poena congrua uicario nostro committimus puniendos. Propinantes autẽ minutatim uina in domibus eorum præcipuè ad quæstum comparata, signo ad tabernam posito, & omnes ad bibendum ibidem

uinum

ninũm admittẽdo, amiſsionis uini uaſis illius per A
Caſtellanum noſtrum auferendi pœna mulcte-
tur.

DE DIVINIS IN ECCLESIA peragendis, Caput XX.

PRouidemus itaq; inſuper, quòd in noſtra Cathedrali, aut qualibet alia Eccleſia collegiata, ſeu parochiali noſtræ diœceſis & iurisditionis, ubi plures Sacerdotes & clerici conſueuerunt reſi- B
dere, miſſa maior, iuſto impedimento ceſſante, prout conſueuit hora debita ſingulis diebus cum cantu ſiue nota debeat celebrari. Matutinalia autem & ueſpertinalia, eo quo diuina officia in eiſdem, & potiſsimè in noſtra Cathedrali Eccleſia, modò ſimili cum honeſtate debita celebrentur, in qua horis omnibus ſupradictis præbendarios Eccleſiæ noſtræ uolumus intereſſe. In dignitati- C
bus autem, perſonatibus, & canonicatibus conſtitutos, ut his inter ſint fraternaliter admonemus: &, ut ſaltem miſſæ maiori, & ueſpertinali officio intereſſe debeant, eos hac conſtitutione firmiter coarctamus. In quib9 autẽ dieb9, & quib9 ueſtib9 Eccleſię noſtrę miniſtri uti debeant conſtitutioni ſcriptę in eadẽ Eccleſia, & cõſuetudini cõmittim9,

A relinquendum. Item præcipimus, quòd in talibus Ecclesijs corpus Christi pro infirmis, Chrisma, & oleum sanctũ sub claui, & firma custodia, & uase mundo debeant conseruari. Et, ut liberius diuinis officijs intendatur, res prophanas, uidelicet archas, & alia utensilia, seu uasa uacua, aut plena in Ecclesijs teneri prohibemus, nisi tempore hostilitatis (quod non credimus diebus nostris euenire) posita uerò in ipsis, & locata infra unũ men-
B sem cessante hostilitate pręcipimus amoueri, trãsgressoresq́; pœna debita puniendos.

QVALES SINT PROMOuendi ad ordines, Caput XXI.

CO nstituimus etiam, quòd hi, qui sunt ad sacros ordines promouendi, nobis aut uicario nostro, ante diem suę ordinationis debeant per suos
C præsentatores, uidelicet Archidiaconos præsentari, et examinari prout esse solet: & tales, qui sunt legitimę ætatis, & honestæ uitæ, ac de legitimo matrimonio nati, & qui bene sciant legere, & cantare, & in primitiuis sint aliqualiter instructi: non irregulares, non coniugati, non bigami, non serui, nisi fortè essent manumissi, non corpore uiciati. Patenter autem morbum caducum habentes, seu dæmo-

dæmoniaci, aut Simoniaci, uel furiosi, uel homi- A
cidæ, uel incestuosi, uel periuri, uel qui publicè
adulterium commiserunt, uel qui solennem pœ-
nitentiam peregerunt, aut in alijs criminibus fa-
cinorosis enormibus fuerint reperti, aut alias ca-
nonicum impedimentum habentes: quos omnes
prohibemus ad ordines promoueri, nec ad ali-
quem titulum Ecclesiasticum admitti: alioqui tam
præsentans quàm præsentatus à beneficio Eccle-
siastico, & executione sui beneficij nouerint se
suspensos. B

DE VSVRPANTIBVS IVRA Spiritualia, Caput XXII.

PRæterea, quia effrenata cupiditas in plerisque
adeò dominatur, quòd uetita usurpant, & reci-
piunt aliena, ex hoc uehementer compellimur, ut
eorum conatus in quantum possumus refrene- C
mus. Ea propter sanctione præsenti salubriter or-
dinamus: Quòd nulla secularis, seu Ecclesiastica
persona, uniuersitas, siue collegium bona mobi-
lia, seu immobilia, aut iura perpetua, iurisditiones,
honores, ius eligendi, uel conferendi aliquam Ec-
clesiam, rectoriam, uel præbendam ad quemlibet
locum uenerabilem, aut ad nos, uel ad mensam

A nostram Episcopalem, quouis modo uel titulo, aut ad fratres nostros de Capitulo pertinentia & pertinentes, aut Ecclesiam aliquam, uel hospitale, seu alium pium locum usurpare, impedire, directè uel indirectè inuadere, aut alias occupare presumat, aut uiolenter etiam detinere, & spoliare ipsum possessione iuris percipiendi aliquos census annuos, decimas uel fructus. Singulares denicp personas, quæ facere attentauerint contra præmissa in aliqua sui parte, facto uel mandato, aut expresso consilio, uel consensu, excommuni-
B cationis sententia innodamus. Vniuersitates autem, & collegia, terrasq́ꝫ, & loca eorum subijci uolum⁹ Ecclesiastico interdicto. Illos quocp, qui temeritate propria pluries requisiti, soluere contempserint, uenerabili loco, uel mensæ nostræ, seu fratrum nostrorum, aut alterius, earum decimas, pensiones, census, fructus consuetos, decreuimus excommunicationis uinculo innodatos.
C Qui cum ligati fuerint, relaxari non debeant, donec prædictis, aut alicui prædictorum fuerit de his iuribus suis, & iniurijs integraliter satisfactũ, uel de satisfaciendo idoneè cautum. Item admonemus primò, secundò, tertiò & peremptoriè omnes tributarios, tam super portubus seu aquarum transitu, quàm alijs passibus nostræ dioecesis &

ſis & iurisditionis exiſtentes,aut eorum uices ge= A
rentes,quatenus tributum,à Sacerdotibus,& cle,
ricis,& religioſis quibuſcunqꝫ, uel rebus eorum,
niſi cauſa mercium deferendarum , & ſpecialiter
ad Synodum uenientibus exigere aliquatenus
non præſumant , quòd ſi fecerint, eos ipſo facto
excommunicationis ſententia innodamus,à qua,
niſi ſatisfactione impenſa, nullatenus abſoluãtur.

DE POENA NON CONFIR, B matorum in beneficijs,Cap. X XIII.

ITem excommunicamus omnes & ſingulas per
ſonas Eccleſiaſticas nobis ſubiectas,qui Eccleſias
ſeu alia beneficia Eccleſiaſtica de manu recepe,
rint laicorum,imò & aliorum quorumcunqꝫ con
temptis his, ad quos ipſorum beneficiorum con C
firmatio, uel diſpoſitio pertineret. Sciant etiam ta
les , qui abſqꝫ inſtitutione Canonica modo præ,
miſſo Eccleſias aſſequuntnr , nullam ſe recipere
poteſtatem abſoluendi uel ligandi, ſeu alia Eccle,
ſiaſtica ſacramenta miniſtrandi, & hi ſolum uerè
Dei populum decipiunt, & ſe damnabiliter illa-
queant.Sed,ut hęc facere poſsint,oportet ut no-
ſtram, uel aliorum ad quos ſpectat, autoritatem
obtineant & requirant.

A DE POENIS NON RESIDENTIUM IN BENEFICIJS, Caput XXIIII.

ET quia propter defectum non residentium ministrorū frequenter Ecclesiæ ipsæ damna patiuntur, & multa exinde proueniunt pericula animarum, in hac præsenti Synodo publicè & peremptoriè prælatos, rectores, Canonicos, & clericos, & beneficiatos quoslibet nostræ ciuitatis,
B dioecesis & iurisditionis admonemus, ut infra sex menses, à die præsentis admonitionis computandos, ad suas Ecclesias & beneficia, quæ in nostra Ecclesia, ciuitate uel dioecesi, seu iurisditione obtinent reuertantur: facturi deinde continuam residentiam apud illas. Alioqui ex nunc ipsos à beneficijs Ecclesiasticis, uel Ecclesijs suspendimus in his scriptis, priuantes eosdē, si suspensionē ipsam sustinuerint infra mensem, nisi ab ipsa residentia
C legitimo impedimento, uel dispensatione Canonica excusentur, aut huiusmodi personę nobiscū, seu alias de nostro beneplacito ex causa rationabili commorentur, de quibus nobis, uel uicario nostro uolumus fieri plenam fidem.

CONTRA ABSENTES, Caput XXV.

Præ-

PRæſenti quoq; ſanctione inuiolabiliter ordi- A
namus, quòd omnes & ſinguli, qui in noſtra ciuitate, iuriſditione uel diœceſi, beneficia Eccleſiaſtica aſſequuntur, in ipſis Eccleſijs, in quibus eadem obtinebunt, in futurum reſidentiam faciant perſonalem, non per Capellanos, ſed per ſe ipſos. Qui uerò hoc facere cõtempſerint, ex tunc eiſdem beneficijs, poſt admonitionem hic contentam, eoſdem decreuimus fore priuatos, niſi per diſpenſationem, aut iuſtam aliam rationabilem cauſam excuſentur à non reſidentia antedicta. Inſuper omnes diſpenſationes à nobis, & noſtris prædeceſſoribus conceſſas ſuper non reſidentia quibuſcunq; in præſenti Synodo reuocamus. B

QVALITER TESTAMENTA fiant in præſentia Sacerdotis parochialis, & in ſcriptis, & de pœna tales impedientes, Caput XXVI. C

CAeterum quia nihil eſt quòd magis debetur hominibus, quàm ut eorum ultimæ uoluntatis eulogia impleantur: Statuimus & mandamus, quòd quicunq; de noſtra ciuitate, diœceſi & iuriſditione, de bonis ſuis diſponere aliquid uoluerit,

A rit, seu testari, rectorem seu Capellanum Ecclesiæ intra cuius degit parochiam, tanquam personam, quæ eius conditionem, & conscientiam non creditur ignorare, & quæ illi uiuenti Sacramenta Ecclesiastica ministrauit, omnino aduocet, & ipso præsente maximè pro anima sua leganda, uel ordinanda ordinet, & disponat: & per quam dirigi poterit in his quæ ad salutem animæ ipsius pertinebunt, cuius dispositio & ordinatio, ubi est B possibile, conscribātur, pro memoria futurorum, ne defunctorum uoluntates plus prorogentur. Si qui autē directè, aut indirectè dispositionem ultimæ uoluntatis talium, rectorem uel Capellanum prohibuerint interesse, uel ipsum testatorem in scriptis testari, uel uoluntatem talium testatorum ultimam occultauerint, in ipsos sententiam excommunicationis promulgamus. Monentes insuper tenore præsentium iudices, & iuratos ci-C uitatum, oppidorum, castrorum, & locorū aliorum quorumcunque ciuitatis, diœcesis & iurisditionis nostræ, ne statuta, monitiones, præcepta seu mandata, contra præsentem nostram constitutionem faciant. Et si qua uel quas eorū aliqui, aut ipsorum prędecessores uel antecessores fecerunt uel fecerint infra sex dies à publicatione pręsentium, debeant reuocare. Quòd si non fecerint

in ipsos

in ipſos & quoslibet, ipſis utentibus ſententiam A excommunicationis ferimus in his ſcriptis. Præſentem autem conſtitutionem quolibet die Dominico in ueſtris Eccleſijs publicetis, & ad notiⷭam populi deducatis.

QVOD RELICTA AD PIAS cauſas malè ablata infra ſex menſes executioni demandentur, executores non facientes, ſunt excommunicati. B
Capitulum XXVII.

VTiliter prouidemus quoslibet peremptoriè admonentes, tam hæredes, quàm executores & fidei commiſſarios præſentes & futuros ultimarum uoluntatum: quòd in relictis ad pias cauſas pro animarum ſalute & peccatorũ remedio, pauperibus Eccleſijs ac hoſpitalibus, & reſtitutionibus malè ablatorum, ſiue certa fuerint ſiue C incerta, legata ſeu relicta ultra ſex menſes ſoluere non retardent: de quibus generalem fieri uolumus in Eccleſijs ueſtris monitionem. Super quibus contra facientes excommunicationis ſententiam incurrere uolumus ipſo facto, & nihilominus ad ſoluendum compelli, quæ modo præmiſſo ſunt diſpoſita, & etiam ordinata, Præſentem

autem

A autem constitutionem diebus festiuis publicari mandamus.

DE EXCOMMVNICATIS uitandis, Capitulum XXVIII.

VOlumus insuper, omnes excommunicatos, interdictos ab omnibus regularibus & secularibus exemptis, & non exemptis in diuinis officijs,
B & sacramentis Ecclasiasticis euitari. Quia nullis possunt super hoc priuilegijs Apostolicis tueri. Qui uerò contra fecerint scienter, uel tales ad Ecclesiasticā sepulturam receperint, aut celebrare in Ecclesia interdicta præsumpserint, pœnam suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & ā participatione Sacramentorum à Canone inductā, contrahant ipso facto, & ipsorum Ecclesia ecclesiastico subijciatur interdicto. Si Capitulum uel con-
C uentus aut maior pars sit in culpa Qui aut interdicti uel excommunicati, uel in Ecclesijs interdictis scienter diuina officia celebrare præsumpserint, irregularitatem incurrāt, super qua non, nisi per sedem Apostolicam dispensari potest.

HIs igitur informationibus, & constitutionibus sic salubriter æditis, quoad præsentem nostram

noſtram Synodũ propter temporis breuitatem, A
& quandam noſtræ ſolicitudinis occupationem
patitur, contentamur prouidere cupientes ſuper
alijs, prout Deus ſuam gratiam nobis miniſtra-
bit in futurũ. Vobis ergo uniuerſis Eccleſiæ no-
ſtræ Archidiaconis in uirtute ſanctæ obedientię
firmiter præcipiendo mandamus, quatenus in-
formationes & conſtitutiones præſentes ſingu-
lariter ſinguli exemplari faciatis: & in ueſtros Ar
chidiaconatus eorum copiam transmittatis, & in- B
fra menſem quemlibet ueſtrum ſubditum Sacer-
dotem ad ipſorum copiam reſcribendam & ex-
emplandam compellatis.

ITEM ALIAE CONSTITVTIO-nes, de Feſtis celebrandis, & caſibus reſer-uatis, & alijs, Capitulum XXIX.

QVoniam, ut intelleximus, quorundam tem- C
poralium dominorum, ac iudicum ſecularium,
maximè ciuitatenſium, & quod reprehenſibilius
eſt, etiam Eccleſiaſticorũ uirorum, plebanorum,
ſeu Eccleſiarum rectorum, præſumptuoſa teme-
ritas inoleuit, quòd iuriſditionem ſpiritualem no
ſtrę Nitrieñ. Eccleſię, in ſuis tenutis, & parochijs
impedire, uel potius in animarum ſuarum diſpen

A dium anihilare, & usurpare attentant, litigantes, sua iura in sede nostra prosequi intendentes retrahendo, impediendo, prohibendo, ita quòd à lite, causa, seu quæstione desistere compellantur. Verùm quia nouis superuenientibus morbis noua conueniunt antidota præparari, & ut uaria experimenta morborum uaria cogunt remedia inuenire, nos iustitiam nostram & prædictæ Nitrieñ. Ecclesiæ, cuius regimen & gubernatio in
B spiritualibus & temporalibus, per sedem Apostolicam nobis est commissa, nolentes negligere, qui alios nostros subditos in sua iustitia confouemus, præsenti constitutione Synodali sanximus, & de iure statutum esse ostendimus, ne quis de testamentis, dotalitijs, quartis puellaribus, & rebus parafrenalibus, & alijs causis Ecclesiasticis cognoscere aut iudicare præsumat, sine nostra uel uicarij nostri licentia speciali, in ciuitate, diœcesi,
C & iurisditioñ. nostris, neq; ad forum Ecclesiasticum recurrentes super causis, quæ ad Ecclesiam Nitrieñ. de iure, uel ab antiqua consuetudine pertinere noscuntur, ad desistendum, uel in foro seculari de quæstionibus huiusmodi litigandum modis quibuscunq;, directè uel indirectè, palam uel oculte compellat, uel compelli faciat, seu procuret per se, uel per alios ne impediat, quominus

in se-

in sede Nitrien. querulantes de causis, quæ, ut præmissum est, ad cognitionem pertinent Sedis eiusdem possint liberè iustitiam obtinere, nec ad prædicta impedimenta facienda dent auxilium, consilium uel fauorem. Si quis uerò contra præsumpserit, excõmunicationi se ipso facto nouerit subiacere, à qua nisi tam Ecclesiæ Nitrien. prænotatæ, cuius cognitio fuerit impedita, uel iurisditio usurpata, quàm parti, quæ turbata in persecutione fuerit sui iuris, de iniuria, damnis, expensis, & interesse prius per eundem fuerit satisfactum, nullatenus absoluatur. Volumus autem, ut præsentis constitutionis forma per plebanos ciuitatum, & insignium locorum, seu oppidorum conscribatur, & per eorundem prædicatores diebus dominicis & festiuis infra missarum solennia in ambone publicetur: iniungentes ipsis sub pœna excommunicationis id firmiter obseruari. A B

DE RELIGIOSIS MENDICAN. Capur XXX. C

PAstoralis cura solicitudinis nos inducit, ut abusionibus, quas nonnulli religiosi mendicantes, et eleemosynarum quæstores in suis quæstibus proponunt, ut simplices decipiant, & aurum subtili,

A uel fallaci potius ingenio extorqueant ab eisdem, cùm in animarũ cedat periculum, & scandalum plurimorum, uiam, prout est nobis possibile, prę cludamus: Iuxta sacrorum Canonum instituta subditis nostris duximus prohibendum, ne tales ullatenus populo praedicare, aut confessiones audire, uel quaestuare ullo modo permittant, nisi nostras uel uicarij nostri literas exhibuerint: per quas pateat ipsos Praelatos ipsorum ad audiendas confessiones, & uerbum Dei proponendum iuxta iuris formã nobis uel uicario nostro
B fore praesentatos: ac alia in quibus instant de iure posse adimplere. Nam, sicut ad nostrum peruenit auditum, non sine multa temeritatis audacia, & deceptione multiplici animarum, indulgentias populo motu proprio de facto concedunt: super uotis dispensant, à periurijs, homicidijs, & peccatis alijs sibi confitentibus absoluunt, malè
C ablata incerta, data sibi aliqua pecuniae quantitate remittunt, tertiam & quartam partem de poenitentijs iniunctis relaxant, animas tres uel plures, parentum uel amicorũ illorum, qui eleemosynas eis conferunt, de purgatorio (ut asserunt mendaciter) extrahunt, & ad gaudia paradisi perducũt: Confratribus & benefactoribus ipsorum remissionem plenariam peccatorum indulgent;

& ali-

& aliqui ex ipsis eos à pœna & culpa, ut eorum A
uerbis utamur, absoluunt. Nos aduersus huius-
modi per quos censura uilescit Ecclesiastica, &
clauium Ecclesię autoritas deducitur in contem-
ptum, omnimodè abusus abolere ualentes, teno-
re præsentium subditis nostris, & eorum cuili-
bet præcipimus, ac sub excommunicationis pœ-
na præcipiendo mandamus, ut si quem de prædi-
ctis cuiuscunque conditionis, ordinis, religionis,
uel status existant, sine literis nostris, uel uicarij B
nostri, post præsentem Synodum concessis, cùm
omnes & singulas per nos, aut uicariū nostrum
hactenus concessas ex certis & rationabilibus
causis reuocamus, si quos eorū repererint, quæ-
stuare, prędicare, aut confessionem audire, equos
eorum, & bona uniuersa, quæ secum deferunt &
habent, libris eorum dimissis, nulla in personis
eorum uel suorum irrogata iniuria, recipiant: &
nobis, uel uicario nostro repræsentent. Arre- C
stando insuper autoritate nostra, quæcunque ex
ipso quęstu acquisita, & penes quoscunque depo-
sita per ipsos fuerint. Vt autem animarum peri-
culis, quas tales quæstores, & mendicantes suis
deceptionibus decipiunt prouideatur, & teme-
ritas talium compescatur, uolumus & manda-
mus, ut præsentem nostram constitutionem, die-

A bus solennibus in pulpitu, seu ambone populo publicent, & ad intellectum ipsorum de uerbo ad uerbum clarè deducant. Hortamur uos omnes, & singulos suprascriptos, ac per uiscera misericordiæ Iesu Christi obsecramus in Domino, nihilominus uobis districtè præcipiendo mandamus, quatenus pro diuina reuerentia fratres & professores ordinum quorumlibet, & quæstuarios alios, literas nostras, aut uicarij nostri deferentes super prædictis habentes affectu beniuolo commendatos, fratribus, aut quęstuarijs ipsis, nõ difficiles, graues, duros, aut asperos, sed potiꝰ fauorabiles, propitios & benignos, pios & liberales uos studeatis exhibere: & eos, quibus incerta mendicitas uictum præbet, in petendis eleemosynis à Christi fidelibus nullatenus impedire, nec eis licentiam aliquo modo denegare, uel portionem quæstus seu mendicitatis, audeatis postulare.

B

C Hortamur tamen tenore præsentium religiosos mendicantes, ut quartam partem parochialibus sacerdotibus iure taxatam sine fraude & dolo ipsis soluere debeant, ne querelis ipsorum parochialium affligamur, & pax ipso iure indicta firma & stabilita existat, cum non nisi tempore pacis ipsius pacis autor bene colatur. Hortamur insuper ipsos religiosos, ne in Ecclesijs, seu locis inter-

interdictis, diuina debeant celebrare, &, si contrà A
fecerint, per pœnas à iure statutas contra ipsos,
& alia iuris remedia procedemus.

DE OFFICIO ARCHIDIAconorum, Caput XXXI.

CVm nos ex eo quòd omnium diœcesanorum, & subditorum nostrorum noticiam habere nequeamus, & ipsorũ status & conditiones plurimum ignoremus, sępeq; contingat, quòd non- B nulli clerici uinculo excommunicationis astricti, aut apostatæ, aut irregulares, uel illegitimè nati, & alias à sacrorum ordinum susceptione indigni ad huiuscemodi sacros ordines surreptitiè, & fallò se faciant promoueri: Nos, uolentes animarum ipsorum periculis obuiare, præsenti constitutione statuimus & ordinamus, ut quotiens- cunq; Archidiaconus Archidiaconatus sui paro- C chias uisitauerit, nomina quorumcũq; Archidiaconatus ipsorum, qui ad ordines promoueri uoluerint, ritè & legitimè de uita, moribus & conditionibus ipsorũ, facto scrutinio, in scriptis redducant & registrent: adueniente quoq; tempore ordinationis ipsi Archidiaconi, uel uice Archidiaconi ipsorum, absentibus ipsis Archidiaconis,

nobis,

A nobis, seu uicario nostro repræsentent ordinandos personaliter, seu per ipsorum Archidiaconorum, uel uice Archidiaconorũ literas sigillorum ipsorum robore munitas. Si quis autem ordinandorũ in hoc transgressor fuerit, dato, quòd alias legitimè ad susceptũ ordinem potuerit promoueri, ipsum ab executione dicti ordinis usque ad annum suspendimus, & in tribus florenis auri mulctetur, quorum medietas Cameræ nostræ
B applicetur, & alia medietas Archidiacono, in cuius Archidiaconatu residentiam fecerit seu domicilium habuerit, si nobis aut uicario nostro non denunciauerit.

DE COMMESSATIONIBVS. Caput XXXII.

DOlentes referimus, quòd nõ solum quidam
C uiatores clerici, uerumetiam aliqui Ecclesiarum prælati, circa commessationes superfluas, & fabulationes illicitas, ut de alijs taceamus, ferè medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquẽtes, uix ad diurnũ auium conciniũ excitantur, transeundo undique concinia syncopant diuinum officium. Sunt etiam aliqui, qui minimè curantes, quòd propter officium datur beneficium, censum

censum seruitutis suę minimè persoluunt, sed pa- A
nem doloris comedentes, sic illicitis secularium
negotiationibus, postergatis omnino horis Ca-
nonicis, se immiscent, qui potius laici quàm cleri-
ci meritò appellari deberent: &, quòd deterius
est, diuinis horis in Ecclesia interesse contemnunt:
& si quando intersunt horis, silentium fugientes
uanis colloquijs intendunt, dumq; auditum ad
indebitos sermones effundũt, aures intentas non
porrigunt ad diuina. Hæc autem quàm sint abo-
minabilia & detestabilia, sanctorum patrum con- B
stitutionibus manifestius edocetur. Volentes igi-
tur prędictis, quantum cum Deo possumus, pro
uidere, hæc & similia sub pœna excommunicatio
nis de cætero fieri prohibemus. Monentes ergo
omnes & singulos beneficia Ecclesiastica obtinen
tes, nec non in subdiaconatus, diaconatus, & pres-
byteratus ordinibus existentes, ut horas Cano-
nicas dicere, & legitimo impedimento cessante, C
singulis diebus perficere debeant, sub intermina-
tione maledictionis æternæ.

DE VSVRARIIS. Caput XXXIII.

QVia usurarum uorago, quę animas deuo-

 rat,

A rat, facultates exhaurit & euacuat, ita inualuit,
quòd negotijs alijs prætermiſsis, pleriq; quaſi li-
citè uſuras exerceant, & qualiter utriuſq; teſta-
menti pagina, & iuris utriuſq; ſanctione condem-
nentur, nequaquam attendant. Ideoq; ſtatuimus,
ut uſurarij ad communionem non admittantur
altaris, nec ipſorum oblationes recipiantur, niſi ſa-
tisfecerint illis, à quibus extorſerant eas, uel de ſa-
tisfactione idoneam præſtiterint cautionem. Sed
B ſi non reſtitutis uſuris, aut idonea cautione præ-
ſtita de ipſis reſtituendis in manibus parochialis
Eccleſię, deceſſerint, Eccleſiaſtica careant ſepultu-
ra. Si quis autem ipſum uſurarium Eccleſiaſticæ
præſumpſerit tradere ſepulturę, uel eius exequijs
intereſſe, non reſtitutis uſuris, uel idonea non prę
ſtita cautione, ultra pœnas in iure contẽtas, in de-
cem ducatis auri puniatur, quorum medietas Ca-
meræ noſtræ applicetur, alia medietas Archidia-
C cono, in cuius Archidiaconatu contrafaciens re-
pertus fuerit, ſi tales Officiali noſtro denunciaue-
rint, quibus in uirtute ſanctæ obedientiæ iniun-
gimus, ut de talibus, cum uiſitauerint, inquirere
debeant cum effectu.

DE VSVRPATORIBVS EC- cleſiarum, Caput XXXIIII.

Aua-

AVaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis A
improbitas aliquorũ animos occupãtes, eos
in illã temeritatẽ impellũt, ut proprijs nõ conten
ti, aliena exquisitis fraudib⁹ usurpare conent. Cũ
itaq; per prędecessores nostros limites parochia
rum, & assignationes prouidè facti, distincti &
assignati fuerint, nonnulli tamen Ecclesijs uacan-
tibus, ipsarum Ecclesiarũ sic uacantium iura usur
pant: & tanquam capellas ipsas penitus sub se ha
bere nituntur: cum tamen manifestè constet ipsas B
fuisse per se principales Ecclesias, & iura cimite-
rij adhuc manifestè appareant, sed hoc diuturni-
tate temporis de alijs iuribus probare nequeant,
ex quo plura insurgunt inconuenientia, quia li-
mites parochiarum confunduntur, iura Ecclesia-
rum etiam per laicos usurpantur, cum proprijs
tales Ecclesiæ careant rectoribus, cultus diuinus, C
qui augeri deberet, minuitur, nec non iura Archi-
diaconorum Ecclesiæ nostræ in Cathedratico,
& alijs iuribus Archidiaconalibus defraudantur.
Quare malitijs hominum, quibus indulgeri non
debet, prouidere uolentes præsenti constitutio-
ne sancimus, ut nullus de cætero talia agere præ-
sumat, omnes alios qui secus fecerint, sententia
excommunicationis innodamus, uolentes, & ni-
hilominus declarantes: quòd quicunq; fuerit sa-

A cerdos, seu rector parochialis, tales sub se habēs Ecclesias, de quibus clarè probari non posit, pro ipsis nihilominus teneantur soluere Cathedrati- cum: si autem fuerint Capellæ de quibus manife- stè constet, pro medietate Cathedratici pro qua- libet teneantur Capella, ut omnis rancor cauilla- tionis & fraudis auferatur.

INTERDICTVM CONTRA illos, qui pueros suos infra octo dies baptizari non faciunt.

B Caput XXXV.

PRæterea cum propter dilationem temporis plerunq; infantes sine baptismate moriūtur: præ senti constitutione statuimus, ut Archidiaconi, ui ce Archidiaconi, presbyteri & alij Ecclesiarum rectores singulis diebus Dominicis & festiuis, moneant parochianos suos, ut infantes quantoci- C tius possunt ad baptizandum deferant, & saltem ultra octo dies, eos baptizare non differant. Si quis autem contrà ire præsumpserit, ei firmissi- mum teneatis interdictum, tam diu donec ipsum baptizare curauerit. Præterea nonnunquam ac- cidit, quòd parentes ex eorum desidia & incuria proprios opprimunt pueros. Cum autem scri- ptum

ptum ſit, quòd quilibet carnem ſuam omni ſoli- A
citudine & peruigili cura cuſtodire debeat. præ-
ſenti conſtitutione ſtatuimus, quòd ſingulis diebus Dominicis Archidiaconi, uice Archidiaconi, presbyteri, & alij Eccleſiarum rectores publicè parochianos ſuos moneant & inducant, ut infantes in lecto ſecum non teneant. Et ſi omnino neceſsitas urgeat in lecto eos habere, cum omni diligentia & timore Dei habeant, & bene cuſtodiant. B.

DE FESTIVITATIBVS COlendis in hac Eccleſia & tota noſtra diœceſi. Caput XXXVI.

VT circa celebrationes feſtiuitatum in noſtra Eccleſia Nitrienſi, & diœceſi concors, & perpetua concordia habeatur: ſtatuimus, ut in ſubſcriptis diebus clerici, & laici debeant à ſeruilibus C
operibus abſtinere.

Ianuarius habet dies XXXI.

Circunciſio Domini	prima die Ianuarij.
Epiphania Domini	Sexta die.
S. Agnetis uirginis & martyris	XVII. die.
Conuerſio ſancti Pauli	XXV. die

Februarius habet dies XXVIII.

A Purificatio sanctæ Mariæ Secunda die.
S. Mathiæ Apostoli XXVIIII. die.
Martius habet dies XXX.
S. Gregorij papæ & confessoris XII. die.
Annunciatio sanctæ Mariæ XXV. die.
Aprilis habet dies XXX.
B. Georgij martyris XXIIII. die.
D. Marci Euangelistæ XXV. die.
Resurrectio Domini cum duobus sequentib.
B Assensio eiusdem.
Penthecostes cum duobus diebus sequentib.
Festum sanctæ Trinitatis.
Festum sacratissimi corporis Christi.
Maius habet dies XXXI.
S. Philippi & Iacobi Apostolorum prima die.
Inuentio sanctæ crucis tertia die.
S. Ioannis ante portam latinam sexta die.
Apparitio S. Michaelis Archãgeli octaua die.
C Iunius habet dies XXX.
S. Ioannis Baptistæ XIIII. die.
B. Ladislai Regis Hungariæ XXVII. die.
S. Petri & Pauli Apostolorum XXX. die.
Iulius habet dies XXXI.
Visitatio beatæ Mariæ uirginis secunda die.
S. Margaretæ uirginis & martyris XIIII. die.
S. Zeorardi & Benedicti martyrum XVII. die.
S. Ma-

S. Mariæ Magdalenæ XXII. die. A
S. Iacobi Apoſtoli XXV. die.
S. Annæ matris Mariæ XXVI. die.

Auguſtus habet dies XXX.

Transfiguratio Domini VI. die.
S. Laurentij martyris X. die.
Aſſumptio beatæ Mariæ uirginis XV. die.
D. Stephani Regis Hungariæ XX. die.
S. Bartholomæi Apoſtoli XXIIII. die.

September habet dies XXXI. B

Natiuitas beatæ Mariæ VIII. die.
Exaltatio S. Crucis XIII. die.
S. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ XXI. die.
S. Emmerani martyris, Venceslai martyris XXII. die.
Dies Angelorũ, Michaelis Archangeli XX.

October habet dies XXX.

S. Lucæ Euangeliſtæ XVIII. die.
S. Symonis & Iudæ Apoſtolorũ XXVIII. die. C

Nouember habet dies XXX.

Feſtum omnium ſanctorum prima die.
S. Emerici Ducis V die.
S. Martini Confeſſoris XI. die.
S. Elizabet uiduæ XX. die.
S. Catherinæ uirginis XXV. die.
S. Andreæ Apoſtoli XXX die.

De-

A December habet dies XXXI.

S. Nicolai Confessoris VI. die.
Conceptio beatæ Mariæ VIII. die.
B. Thomæ Apostoli XXII. die.
Natiuitas Dñi nostri Iesu Christi XXV. die.
S. Stephani protomartyris XXVI. die.
S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ XXVII. die.
Sanctorum Innocentum XXVIII. die.
Item omnes dies Dominici, quælibet Ecclesia parochialis festum Patroni sui, in cuius honore eadem Ecclesia est fundata. Item quælibet Ec
B clesia dedicationem Ecclesiæ suæ quo die est dedicata.

SEQVVNTVR CASVS, QVOS quilibet Confessor tenetur scire, ut secundũ hoc posit consulere confitenti. Et primò de illis, qui ab inferioribus gradibus mittendi
C sunt ad Episcopum.

ITem homicida, sacrilegus, de corpore Domini furans, cũ Chrismate uel oleo sancto incantans, testis iniquus, & conuictus deflorator, incestuosus, ueneficus, parentũ percussor, qui manus uiolentas imponunt clericis, religiosis, & conuersis regulæ astrictis.

ITEM HAEC SVNT PECCATA pro quibus debet dari ſolennis pœnitentia. A

RAptor mulierum, uotorum fractores, errantes in fide, quorum filij ex negligentia ſine baptiſmo perierunt, clerici irregulares, incendiarij, quando uotum priuatum oportet commutare uel remitti: pupillorum oppreſſores, necantes ſuum uel alienum partum, qui deſtruunt conceptum, publica peccatrix, falſarius Epiſcopalis ſigilli, uel conſcienter utens, publicus uſurarius, adulter, publicus latro, ſimoniacus laicus, infantium oppreſſores, maſculorum concubitores. B

ITEM QVAE INDVCVNT ORdinandis irregularitatem, & non ſunt peccata.

BIgamus, ſeruus non manumiſſus, iudex occiſor iuſto iudicio, teſtes, Scriptores, & accuſatores, membro carentes, amentia uel furia ſæpe dilucida, ad rationem ligatus, illegitimus, coniugium, ſolennis pœnitentia. C

ITEM QVAE INDVCVNT IRregularitatem, & ſunt peccata.

A Virginis raptus, adulterium publicum, Simonia, furtũ, sacrilegiũ, homicidiũ, schisma, rapina, falsidicus testis, & conuictus hæreticus, notum periurium, qui in iudicio accusat fratrem iniusto crimine, & deficit in probatione, clericus in casu non concesso accedens ad iudicium principis, incestus, apostasia à fide, maleficium, uel diuinatio &c. maiori sententia excommunicationis ligatus, & omnis infamis, simplex coitus iudicio

B approbatus.

ITEM MAIOR EXCOMMVnicatio trahitur in decem & octo modis.

PRimus, cùm quis incidit in hęresim iam damnatam. Secundus, cùm quis receptat, uel defendit scienter hæreticos, aut ex malitia nouas fingit hæ

C reses. Tertius, cum quis Romanã Ecclesiam non dixerit esse caput, & ei, ut capiti noluerit obedire. Quartus, cùm quis in clerum, monachum, aut monialem, uel conuersum manus iniecit temerè uiolentas. Quintus, cum quis potest defendere clericum à uiolenta manuum iniectione, & non facit. Sextus, cum Potestates, Consules, & Rectores ciuitatum, uel locorum angarias, uel exa

ctio-

ctiones indebitas, & maledictas leges clericis im- A
ponunt contra Ecclesiastica statuta. Septimus, in-
cendiarij, & uiolatores Ecclesiarum. Octauus,
cum quis à paucioribus quàm à duabus parti-
bus Cardinalium in Papam eligitur, & consen-
tit. Nonus, cum quis falsificat literas Papæ, uel
eis scienter utitur. Decimus, cum quis defert ar-
ma Sarracenis, aut ferrum, uel auxilium. Vndeci-
mus, cum Magister, uel scholaris Bononiæ tra-
ctat cum aliquo Bononiensi ciue, de ipsius hospi- B
tio conducẽdo, irrequisitis Scholaribus in domo
existẽ. Duodecimus, si monach⁹, uel Canonicus
regularis, aut personatum uel dignitatem tenens,
leges uel physicam audiuerit. Tredecimus est, sa-
gittans balistarũ contra Christianos in bello in-
iusto, aut qui contra statuta, & Ecclesiasticas con
stitutiones uel consuetudines, nec non earundem
libertates, abusiuas consuetudines conseruari fa-
ciunt. Quartusdecimus cõtrahitur in statutarijs. C
Quintusdecimus contrahitur in statutorum il-
lorum scriptoribus. Sextusdecimus contrahitur
in potestatibus, Consulibus, Rectoribus, Consi-
liarijs locorum, in quibus huiusmodi statuta ædi
ta fuerint uel seruata. Septimusdecimus, in his qui
secundum ea iudicare præsumpserint. Octauus
decimus, in his, qui iudicata maledicta statuta in

A publicam formam redegerint.

ITEM MINORI EXCOMMV-nicatione ligati hi ſunt.

VSurarius publicus, leno, raptor, meretrix, pauperis oppreſſor, participans cum excommunicato, ſacrilegus, ſimoniacus, qui tenet dominatum Eccleſiæ à laico: qui noto crimine moritur,
B uel in torneamento, hi etiã debẽt priuari Eccleſiaſtica ſepultura.

HI SVNT CASVS IN QVIbus compellitur confitens ad reſtitutionem.

FVr, raptor, latro, ſimoniacus, uſurarius, pignora tollens, incendiarius, ſacrilegus, ſumens
C iniuſtas collectas, tributa tollens & faciens, mutans terminos uel metas, qui in damnum alterius ſcienter aduocat, iudex & teſtis iniquus, falſus teſtis, accuſator conſilio damnificatus, bona Eccleſiæ qui dat prauis perſonis, uel etiam lędens, mulier ſupponens ſibi alienum partum in damnum hæredis uel mariti, iuſſor ad damnum, conſiliarius & conſentiens, qui tenet rem furtiuam uel

raptam,

raptã, malefidei possessor, qui furta uel rapta occultat, qui utitur adulatiõe, & laborat ad alterius læsioem uel damnum, seruitia uel labores aliorum reseruans.

FINIS.

DEO GRATIAS.

Anno Domini 1494.

ANNOTATIONES QVAEDAM HOC MAXImè tempore pernecessariè ad pleniorē intelligentiam harum Synodalium constitutionum Ecclesiæ Nitriensis.

PROOEMIVM IN DECLARAtiones & annotationes constitutionum.

TAmetsi constitutiones Ecclesiæ Nitriensis, quæ hoc libro continentur, per se sint Catholicæ, doctæ, ac piæ, tamen quia, quædam sunt in eis, quæ declarationem aliquam exigere uidentur, statuimus pro ratione officij nostri, utilitati uestræ consulere, fratres in Christo dilectißimi. Quare quamprimum id, quantum per occupationes ac tempus licuit, curauimus, ut, simul cum ipsis constitutionibus, declarationes quoq; hasce reciperetis. Tantopere enim uos in Christo diligimus, fratres ac amore filij dilectißimi, ut neq; laboribus parcere, neq; pecunijs ulla ratione uoluerimus, ac præmium quidem ultra condignum à Deo optimo maximo omnis boni autore expectantes, perfectionem sanè animarum uestrarum, ac eorum, qui curæ sunt uestræ commendati, pro amoris erga uos nostri, laboris, ac expensarū compensatione

fatione à uobis ipsis maiorem in modum exposcimus, quod, si, ut de bonitate Dei, ac diligentia uestra speramus, fuerimus cõsequuti, maioris id sanè fecerimus, quàm si ingentem auri massam quouis tempore inuenissemus: & uos hac ratione facilius optatam ad beatitudinem cœlestem peruenietis. Iam uerò id in istis nostris declarationibus seruabimus: ut prius ponatur titulus, in quo annotetur caput constitutionum, folium libri, pagina, & litera A. B. aut C. similis illi, quæ erit in margine constitutionum, sub qua fuerint uerba illa, quibus additur explanatio. Deinde ponentur ipsa uerba textus constitutionum: ac tum demum accedet declaratio. Quo in primis cognito nulla difficultas supererit, sed facilè quid quomodo declaretur constabit.

CIRCA ILLVD PRAEAMBVbulum: Constitutiones Synod. Ecclesiæ Nitrieñ. An. 2494. declaratio. Pagina 1. folij primi, litera A.

AVtoritate autem ipſ. ſac. ſcriptura totaliter gubernatur: ex uniuerſali &c. Horum uerborum intelligentia ſatis ex ipſa Auguſtiniana diuiſione conſtat. Non enim ea eſt, quam hæretici moderni indoctè in primis affirmant, ac temerè (dæmonis, ut puto, aſtu & technis, non propria malitia decepti) nonnulli etiam mordicus tenent miſeri. Nimirum, recipiendum eſſe nihil in Eccleſia, quod expreſſè nõ habeatur in ſcripturis. Hoc autem falſiſsimum eſſe ipſa etiam D. Auguſtini uerba, quę ſtatim ſequuntur, affatim conuincũt. Ait enim: Ex uniuerſali traditione maiorum nihilominus regitur ipſa tota S. Eccleſia: Priuatis uerò conſtitutionibus, & proprijs informationibus pro locorum uarietate regitur unaquæque. Hoc profectò fieri nulla ratione poſſet, ſi hæreticorum ſententia iam recitata uera eſſet, cum neque uniuerſales traditiones maiorum, quibus tota Eccleſia gubernatur, neque particulares, quibus particulares Eccleſiæ diriguntur, expreſ-

L ſe in

ſe in ſacris Biblijs inueniantur. Voluit igitur dicere, paris eſſe autoritatis Eccleſiam, eiuſq; ſanctiones, & ſacrã ſcripturã, quam Eccleſia ipſa recipit. Quia utrobiq; eſt, eandem ob cauſam, & ad cordis effectus communes, idem Domini Spiritus, perpetuo cum uniuerſali Eccleſia ex Chriſti promiſsione manſurus, quo pari ratione & per ſcripturam ſacram, & per uniuerſales traditiones uniuerſalis gubernatur Eccleſia. Spiritum uerò particularium Eccleſiarum (tametſi propter peccata populi atque Epiſcopi tolli ille poſsit, quod contigit multis priuatis Eccleſijs, iam hæreticis) nihilominus tamen eundem eſſe docet, cum Spiritu uniuerſalis Eccleſiæ: ſed ad particulares conſtitutiones, & effectus datus pro gubernatione particularium Eccleſiarum, quod ſanè eſt ueriſsimum, quando uidelicet nihil in illis priuatis conſtitutionibus priuatarum Eccleſiarum ſtatuitur, aut agitur, quod ſit contra ſcripturæ autoritatem ſacræ, uel à ſpiritu alienum uniuerſalis Eccleſiæ. Poteſt etiam hoc modo intelligi uerbum illud B. Auguſtini, Quòd ſcilicet, quemadmodum tota Eccleſia totaliter gaudet autoritate ſcripturæ, eiq; tota Eccleſia nititur: ſic etiam tota & quæuis Eccleſiæ uniuerſalis pars traditiones admittit & amplectitur maiorum, tam uniuerſales

quàm

quàm particulares, easq; meritò ueneratur, quibus uniuersalis uniuersalibus, particularis item particularibus diuina regitur dispositione, & ad cœlestem patriã dirigitur atq; impellitur. Quod miseri, oretenus potius, ut suspicamur, quàm corde, negant hæretici.

IBIDEM LITERA B. ALIA declaratio.

PRiuatis uerò constitutionibus, & proprijs informationibus pro locorum uarietate regitur unaquæque, &c. Caue ne hic decipiaris, uel quando dicitur: priuatis constitutionibus, & proprijs informationibus uel quando additur, regitur unaquæq;. Nam priuatæ constitutiones & propriæ informationes, hic non sunt neq; intelliguntur pro captu ac ingeniolo cuiusq; personæ humanæ inuentiones, ut sunt illæ, quibus reguntur, non Ecclesię, sed synagogæ Sathanæ, quibus eius uicarij præsunt hæretici Caluiniani, Lutherani, Anabaptistæ, & quamplurimi alij eiusdem farinæ. Sed priuatæ constitutiones dicuntur respectu uniuersalium, & propriæ informationes Episcoporum respectu informationum, quæ in concilijs uniuersalibus maximè cum summi Pon-

tificis Romani autoritate à plurimis Episcopis simul fiunt. Sunt autem hæreticę illę priuatæ constitutiones, & propriæ informationes, quæ ita sunt priuatæ & propriæ, ut pugnent cum antiqua fide & pietate, cum sensu scripturarũ, quæ uniuersalis iam à mille & quingentis & eo amplius annis recepit Ecclesia Romana, dispersit tandem per uniuersum orbem, & fidelissimè tamen semper apud se conseruauit, quęq; pugnant cum Spiritu & doctrina, & sanctiōib⁹ uniuersalis Ecclesiæ Apostolicę & Romanæ, quæ unica Christi sponsa est. Vnaquæq; autẽ dicitur, non quòd plures Ecclesiæ sint, unica enim sponsa Christi Ecclesia est, mater nostra: sed quia omnes Christi fideles ubicunq; dispersi sunt, tamẽ ad illam unicam Ecclesiam spectant: ut quæuis Christianorum multitudo distantia loci ab alijs distincta ita dicatur Ecclesia, sicut quæuis pars aquæ fluminis dicitur aqua, & dicitur flumen, quæ tamen respectu totius dicitur particularis aqua, peculiaris pars fluminis. Ergo unamquanq; Ecclesiam intellige partem esse quandam uniuersalis, si distantia loci proprio Episcopo, & externis quibusdam signis distinguitur tantum. Nam quæ ratione doctrinæ fidei est ab uniuersali Ecclesia aliena & distincta, iam non dicitur amplius Ecclesia uel par

ticularis uel uniuersalis, sed conuenticulum, sed synagoga Satanæ, sed imago inferni & cathedra pestilentiæ. Alia sunt Saxonica cõuenticula, Brentiana, Caluiniana, Hussitica, Georgij maioris, Musculi, & ea omnia loca & gentes illæ omnes & singulæ, quibus noui supposititi & inuentitij euangelistæ, & hæretici omnes nostri temporis, præsunt, & ubi antiquæ fidei uix ullum est amplius, proh dolor & pudor, relictum uestigium. Imò illę omnes congregationes, tales ac eiusdem farinæ synagogæ Satanæ sunt, ubi ab uniuersali Ecclesia, & ab eius spiritu discessum est & disceditur, & cum ea eiusq́ sanctissimis legibus, & præsule supremo Christi uicario pontifice Romano pugnatur: à quibus conuenticulis & malis, nos pro sua bonitate liberet dextera excelsi Dei nostri.

DECLARATIONES IN PROœmium constitutionum prædictarum, pagina 1. folij 2. litera A.

NOs pastores uestri sumus, uos pastores cõmissę uobis plebis &c. Quamuis constitutiones non solùm ad Parochos, sed ad alios simplices Sacerdotes, & Sacellanos, & Gratianos, &

Clericos diriguntur, hoc tamen in loco tantum cum ipsis plebanis, qui curam animarum habere sciuntur, loquitur Episcopus piæ memoriæ Antonius. Constat autem non omnes curam animarum habere Sacerdotes. Quare, qui tales sunt, ne putent se propter hæc uerba uel ordinariam potestatem cum ipsis ordinibus, uel delegatam ab ipso Episcopo aliquam accepisse. Deinde caueãt Plebani, ne arbitrentur, aut etiam dicant, Episcopis curam tantum esse commissam à Deo Plebanorum, non autem reliquæ plebis, quòd sic dicatur: Nos pastores uestri sumus, uos pastores commissæ plebis. Nam Episcopi tametsi immediatius præsunt ipsis plebanis, præsunt nihilominus Plebanorum plebibus, sed mediatius, & inuigilare tenentur maximè pro animabus plebanorum, & totius gentis, quam sub Episcopatu suo habent, tanquam reddituri rationem pro animabus illis. Cùm igitur Episcopus sit Pastor Plebanorum, est etiam certè pastor plebis commissæ ipsis plebanis, ne uel Plebanus plus sibi arroget, quàm par est, uel Episcop⁹ minus curet bonũ animarum, quæ parochis committuntur, quàm decet, sed inuigilet redditurus pro animabus illis omnibus rationem Deo strictissimè. Fortioribus enim fortior est, ut scriptura ait, cruciatio. Cæterum

rum nisi plebani ipsi in officio suo diligentes fuerint, maledicti erunt, eadē scriptura dicente: Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter: animam enim, quę, propter plebani negligentiam inexcusabilem perierit, requiret Deus iustus iudex de manibus eius.

ALIA DECLARATIO ibidem.

NOs summo pastori Domino nostro Iesu Christo &c. Hic agitur de particulari uniuscuiusq; iudicio diuino, quod recipit quæuis anima ante tribunal Domini in ipso exitu à corpore, de bonis uel malis, quæ fecit in corpore dum uiueret: uel agitur etiā de finali & cōmuni omniū iudicio. Alioquin nos oēs Episcopi uel Archiepiscopi uel etiā Patriarchę de parte ministerij, quā cum uicario Christi sortiti sumus, in hac uita tenemur rationem reddere, ipsi Christi Domini nostri Vicario Pontifici summo Romano, quod ultrò sanè fatemur libenter, ne Episcopos sine pastore esse à Christo relictos, quispiam fortè suspicetur. Illi enim uniuersalis Christi Ecclesia, nobis pars eius commissa est, ille noster quoq; pastor, Christi Iesu pastoris primarij ac summi

omnium

omnium pastorũ loco, in terris est. Illi itaq; nos quoque rationem uitæ nostræ reddere in terris debemus, & ipse pro nobis eandem quoq; reddi-turus est coram Deo, & Domino nostro Iesu Christo, qui cum summus sit pastor apud patrẽ, uoluit tamen summum suum uicarium D. Pe-trũ ac omnes eius successores relinquere in ter-ris apud filios quamuis indignos. Hunc ergo non solùm fratrem nostrũ, sed Christi uicarium, qui hodie est Pius IIII. re & nomine, ut audimus, uerè pius, & pastorem nostrum summumq; Ec-clesiæ uniuersalis, Christi sponsæ, matris nostræ, pontificem agnoscimus, amamus, reuerenter coli-mus, eiq; à nobis omnibus obediendum, & à to-ta Ecclesia pernecessariũ esse, si in Ecclesia Chri-sti esse uolumus, & in ea saluari bene faciendo, dicamus.

ALIA DECLARATIO IN EO-dem procemio, pagina 2. folij 2. litera B.

Nisi ex iusta & probabili causa timoris &c. Non hic datur facultas, gladio aliquem feriendi, etiam si adsit iusta & probabilis causa timoris: hoc enim nulla ratione licet. Nam si Apostolus repre-

reprehendit meritò illos, qui contendebant inter se, & hoc apud infideles, dicens: Quare non magis iniuriam patimini & reliqua, quid putamus dicturum de eo, qui uel ferret, uel ob causam timoris gladium concederet alicui ad feriendum inimicum quem timet? Conceditur igitur istis uerbis, quod alioquin non licet, ut aliquis Sacerdos uel Ecclesiasticus gladium, seu arma portet, ex iusta & probabili causa timoris, non ut hostem feriat, sed ut se protegat ab hostis iniurijs, ac uitam honesta ratione tueatur suam. Inculpata enim tutela non condemnatur ab Ecclesia, ut in directorio confessionis de casibus cõscientię, quod uobis mittimus facile erit uidere. At, ut in hoc ipso quoque procemio declaratur, proprium officium Sacerdotis esse, omnibus prodesse, nulli autem nocere uelle, nullus uestrum, fratres, ignorat.

IN CAPVT PRIMVM DE Baptismo, pagina 2. folij 3. litera A. declaratio.

QVo non recepto nulla alia S. Sacramẽta prosunt ad salutem, &c. Quid si aliquis crederet se baptizatum, & tamen non esset baptizatus? num

quid reliqua Sacramenta non prodessent illi ad salutem dignè pro humana fragilitate, cum Dei gratia suscepta? Respondetur. Si quis haberet aliquam probabilitatem competentem, id est, secundum iudicium Episcopi, aut uiri prudentis & boni (moralem probabilitatem hanc uocamus, quam non facile simplices agnoscunt aut idiotę) tunc deberet baptizari sanè homo ille. Nam si quando talis aliquis inueniatur, qui uehementer ob certas rationes meritò dubitet, utrum sit baptizatus necne, piè profectò sub conditione homo huiuscemodi baptizatur, quæ conditio efficit, ne actus ille rebaptizatio aut sit aut dicatur, etiam si fortè fortuna ille esset baptizatus, cuius baptismi in hominum memoria, aut nullum omnino uestigium, aut non quale oporteat appareret. Alioquin si talis baptizari contemneret, dubio procul periculum esset, ne reliqua Sacramenta plus nocerent eius animæ quàm prodessent, & si omnino nollet baptizari, grauissimè peccaret. Quòd si aliquis honestis rationibus, probabilíq; coniectura crederet se esse baptizatum, huic sanè reliqua Sacramenta possent ad salutem prodesse, & re uera prodessent dignè suscepta, quamuis re uera baptizatus non esset, quod pluribus modis posset contingere, quemadmodum

si aliquis in aliquo loco deserto nasceretur, & statim mater moreretur, atque post aliquot dies infans inueniretur ab aliquibus hominibus, qui credentes illum esse baptizatum, quod eum fortè prope flumen inuenissent, tanquam Christianum educarent. Mille etiã alijs modis hoc posset contingere, uel quia neq; forma neq; intentio fuit seruata in Baptismo, & tunc re uera non esset baptizatus, tametsi crederetur baptizatus Itaq; si adfuit oportunitas suscipiendi baptismum, & non est baptizatus, neq; tunc baptizari cupit, etiamsi adsit commoditas, nihil reliqua Sacramenta prosunt ad salutem homini illi. Si uerò non est re uera baptizatus, & tamen honestis rationibus putat se esse baptizatum, reliqua etiam Sacramenta cum fructu suscipere, si ea dignè suscipiat.

IN EODEM CAP FOLIO 4. pagina 1. litera A. & B.

SEcundum formam Ecclesiæ collatus prodest ad salutem. Et postea: Dum modo præmissa forma uerborum, seruetur. Hæc ita intelligenda sunt, & eo modo, quo Ecclesia intelligit uniuersalis, Romana nimirum, si adsit intentio conferendi per Sacramentum baptismi, id quod mater Eccle-

ſia confert per idem Sacramentum. Non ſolum enim forma requiritur uerborum, ſed etiam intentio, quam habet mater Eccleſia catholica, dum baptizat: alioquin baptiſmus non prodeſſet ad ſalutem. Itaq; hoc ſemel dixiſſe ſit ſatis. Vbi de baptiſmo agitur, requiritur nō ſolum materia & forma conſueta, ſed etiam intētio conferendi id, quod Eccleſia dat, & confert per baptiſmi Sacramentum, ut illud ſit ad ſalutem.

ALIA FOLII 4. PAGINA 2. A.

SI tu baptizatus es, non te rebaptizo, &c. Non eſt opus tot uerbis, ſed ſatis eſt dicere: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Verba uerò illa: Si non es baptizatus, non ſunt ſuperflua. Nam tametſi ſufficere poſſet recta intētio baptizantis, propter circumſtantes tamen, non immerito quod corde tenet Eccleſia, uoce etiam exprimit. Hisdem uerbis uti oportet, quando aliquis eſt baptizandus ob quamcunq; legitimam cauſam, unde oriretur dubitatio, utrum eſſet ille baptizatus necne, ut ſuperius diximus.

IN

IN CAPVT II. DE CONFIRmatione folij 5. pagina 1. litera A. declaratio.

ET dirimens i. separans iam contractum &c. Contractum matrimonium hic dicitur, quod apparenter est. Nam re uera matrimonium non erat respectu illarum personarum, quia materia quæ erat inhabilitata propter impedimentū, non recepit, neq; potuit recipere formam illam matrimonialem, & copula fuit mala. Ergo quāuis forma fuerit in contrahendo obseruata, quia contrahere illæ personę non potuerūt, propter dictum impedimentum, contractio non fuit. Itaq; quando dicitur, & dirimit contractum, nihil aliud est dicere, quàm cognatio illa talis est, ob quā Ecclesia iudicabit illos non contraxisse, neq; esse inter eos matrimoniū, quod contraxisse uidētur. Alioquin si matrimonium esset, illud unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis, meritò obseruaretur diuinum illud præceptum: Quos Deus coniunxit, homo non separet.

IN CAPVT III. DE POENItentia, folij 5. pagina 2. A. declaratio.

 Si

SI confitens loqui poteſt, &c. Quid ſi non poterit loqui? nunquid ſatis eſt, ut corde confiteatur Deo? Minimè gentiũ. Sed id facere ſignis, uel quacunq; alia honeſta & decenti ratione poſſit, tenetur ſingulis annis ſemel ſaltem ſub excommunicationis pœna. Qua de re & de omnibus quæ ad Sacramentum pœnitentiæ ſpectant, in directorio ſæpius dicto agitur utiliter & tractatur. Quod uerò additur: *Etiam quartum neceſſe eſt, uidelicet, firmum propoſitum ulterius non peccandi*, additum eſt ad maiorem rei explicationem. Alioqui non eſt quartum, ſed primum, quia ad contritionem expectat, & ſub illa continetur.

IN EODEM CAPITE FOLII 6. pagina 1. litera B. & C. alia declaratio.

SAnè in Abſolutione pœnitentis, &c. Hanc formam, ſeu modum potius, abſolutionis non ducimus amplius obſeruandum in Nitrienſi Eccleſia, ſed ille potius ſeruetur, qui communis eſt in tota uniuerſali Romana Eccleſia, quē inuenietis in directorio illo ſæpe memorato, quod uobis miſimus compoſito à M. Ioan. Polanco theologo Societatis Ieſu, & Viennæ denuo excuſo in

ædi-

ædibus Collegij Cæsarei dictæ Societatis. Nam confeßio illa generalis, Confiteor Deo Patri &c. ante quàm peccator incipiat confiteri in specie & particulari de peccatis suis, debet ab eodem dici usque ad illa uerba, Mea culpa, exclusiuè, quam absoluet, postquã nullius amplius recordatur peccati, ut plenius in dicto directorio habetur. Deinde redundat dictus modus in constitutionibus, aßignatis uerbis non necessarijs, & hoc maximè tempore non satis accommodatis, tametsi antiqui illa addita uoluerint ad cautelam maiorem, sed citra neceßitatẽ quædam quoque ibidem uerba habentur, quæ tali tempore periculosè dicerentur, maximè ab illis, qui non usqueadeo docti sunt, plebanis, quales hoc nostro tempore, proh dolor, ferè omnes sunt, ut puta, quæ mihi cum contritione confessus es, & illa, absoluo te ab his peccatis, quæ confessus es, & his quæ oblitus es. Ad hæc illud quod dicitur. Demum ponat manus super caput eius, illud non est de neceßitate, sicut in quibusdam alijs Sacramentis, sed est cæremonia quædam, usitata quidem & antiqua, bonam ac honestam ob causam olim inuenta, sed quę à nonnullis omittitur. Hic autem satis erit intelligere impositionem illam manus non esse de essentia Sacramenti absolutionis, quẽ admo-

admodum aliqui fortasse facilè possent suspicari. Omissum n praeterea est in eadem forma absolutionis aliquid, quod addi communiter solet ad maiorem cautelam, nempe absolutio ab excommunicatione, in quam fortè poenitens inscius incurrit, à qua nisi prius absolueretur, non esset absolutio danda à peccatis. Communis igitur modus absoluendi est iste.

PRAEAMBVLVM ABsolutionis.

MIsereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducat te in uitam aeternã, Amen. Aliqui addunt, Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus, Amen. Sed potest hoc ultimum & etiam primum maximè in reconciliationibus omitti sine offensa Sacramenti. Deinde imponunt poenitentiam pro peccatis, quam cum maiori fructu poterit poenitens perficere, &c. Postea dicũt formam ipsam absolutionis in hunc modum: Dominus noster Iesus Christus dignetur te absoluere (haec uerba etiam non sunt de essentia absolutionis, sed sunt uerba precatoria) & ego autoritate ipsius mihi concessa (mihi

sa (mihi concessa, etiam potest hoc omitti, quia subintelligitur) absoluo te in primis à sententia excommunicationis (hic addunt aliqui: In quantum possum & indiges, quę uerba subintelliguntur, & ideo non sunt omnino necessaria) deinde eadem autoritate absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Ex omnibus istis uerbis illa uidētur de necessitate tantum: Ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Imò etiam potest dimitti in casu urgenti illud pronomen Ego, & illa etiam uerba secundum nonnullos, In nomine Patris, &c. ut solum sit satis, si quando urgeat necessitas, dicere: Absoluo te à peccatis tuis. Postea in fine additur communiter sequentia absolutiōis: Merita passiōis Domini nostri Iesu Christi, & beatissimæ uirginis Mariæ, & omniū sanctorum sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, in præmium uitæ æternæ, Amen. Colligamus igitur ex istis omnibus communem modum absoluendi, sitq́ iste: In primis, postquam absoluit omnia quæ tenetur pœnitens facere, illo tempore dicat Sacerdos, Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducat te in uitam æternam, Amen. Deinde dicat Sacerdos confitenti, quam pœnitenti, m de

N beat

beat facere, ac subiungat: Dominus noster Iesus Christus dignetur te absoluere, & ego autoritate ipsius mihi concessa, absoluo te in primis à sententia excõmunicationis, deinde absoluo te à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Merita passionis Domini nostri Iesu Christi, & beatissimæ uirginis Mariæ, & omnium sanctorum, & bona quæ feceris, & mala quæ sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, in præmium uitæ æternæ, Amen. Caueant interim ne absoluant plebani suos ab excommunicatione, uel ab illis etiam peccatis, in quæ sciuerint incurrisse, quæq; nouerint esse Episcopali sedi, uel etiam Papali reseruata.

ALIA ANNOTATIO CIRCA idem Caput, folij 6. pagina 2. B.

SEcundus, si peccans in alia parochia, &c. Vel hoc non potest concedi ulla ratione, uel certè ita intelligendum est, nimirum, quando aliquis uult mutare domicilium ad aliam parochiam, etiam postquam transtulit bona sua mobilia, poterit in antiqua, quam deserit, confiteri de peccatis, quæ in ea commisit, idq; antequam in noua parochia habitare incipiat.

IBI-

IBIDEM ALIA.

QVartus, si aliquis est uagabundus, &c. Proprius confessarius uagabundi est ille, qui Cathedrali Ecclesię eius ciuitati, ubi habitat præest; uel certè plebanus eius parochiæ, in qua tunc fuerit, quando ex præcepto Ecclesiæ, semel saltem in anno tenentur omnes confiteri, uel illi qui habent potestatē, ut ubiuis terrarum & gentium audire confessiones possint.

IBIDEM LITERA C.

IMò & laico & etiam mulieri &c. Confessio quæ fit laico uel mulieri, non est Sacramentum pœnitentiæ, neque necessaria ad salutem, etiam in extremis periculis, sed est enarratio quædam eorum, quæ homo bene uel malè fecit, eoque largo modo confessio dici potest, & fit aliqua consolationis ac humilitatis causa, ut bono consilio & orationibus (quibus mulier seu uir aliquis, propter mortis instantis periculum, putat se egere) ab eo, cui peccata narrantur, iuuetur, eo maximè tempore, cùm in tanto periculo Sacerdos inueniri commodè non potest. Itaque non esset ponenda isthæc confessio absque declaratione in tracta-

tione de Sacramento pœnitentiæ, ne facilè quis idiota Sacerdos credat esse Sacramentum. Necq; ènim est eadem ratio huius aliorúmue Sacramentorum omnium & baptismi, qui cùm sit porta, ut dictùm est, reliquorum Sacramentorum, Sacramentum erit, ut à quacunq; persona ritè perficiatur.

ALIA ANNOTATIO, folio 7. pagina 1. A.

NEc spuat, nec faciem torqueat, &c. Hæc non solum in confessionibus audientis mulierum sunt meritò obseruanda, sed etiam in omnibus aliis. Necq; eam ob causam tantum, ne terreatur, sed etiam ne circumstantes inde colligant, pœnitentem, cuius tunc auditur confessio, aliquod mortale & graue peccatum commisisse. Cautè igitur propter utramcq; causam & prudenter agendum in huiuscemodi negotiis, ne ulli demus offendiculum, & ne præbeamus causam, maximè hoc tempore ullam eis, qui occasiones quærunt, quo minus accedant ad Sacramentum hoc pœnitentiæ, quod est retinaculum quoddam maximum in uita Christiana, & quo Dei gratia conseruatur & augetur. Igitur ne à fidei maiorū plenitudine deficiant

ficiant pœnitentes propter imprudentiã nostram, fratres dilecti, summopere curandum est.

IBIDEM LITERA B.

ILlud postremò adijcimus, quòd Sacerdotes plebes sibi commissas frequẽter ad confessionem & pœnitentiam moneant & hortentur, &c Obsecro uos fratres mei dilectissimi, ac per uiscera misericordiæ Dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto, & per sanguinem, quem pro nobis fudit abundè, hortor & obtestor, ut hoc diligentissimè custodiatis, piæ memoriæ illius S. Episcopi Antonij consilium, ac exemplo in primis, & uerbo deinde uestro id apud quoscunq; poteritis, perficiatis: &, ut saltem singulis mensibus semel confiteantur, contendite, quod à magnis etiã uiris, ut nobis est pro certo à uiris fide dignis relatum, fit, & à quamplurimis etiam octauo quoq; die, maximè Romę, & in tota ferè Italia, in Hispania, Lusitania, India, Gallia, Flandria, & nũc etiam in Germania, & Boemia, utpote Monachij, Ingolstadij, Augustæ, Pragæ, & Viennæ maximè in omnium hominum conspectu, non solum in cathedrali Ecclesia, & collegio Cæsareo Societatis Iesu, sed etiam in alijs quoq; Ecclesijs ciuitatis.

Idem fieri cœptum est, quod more primitiuæ Ecclesiæ & temporum Apostolorum obseruant diligentissimè permulti Catholici ac uiri probi. Igitur, ut in Nitriensi quoque diœcesi gratia Dei, exhortatione nostra & maiorum nostrorum, exemplo, uerbo & auxilio uestro sanctissimum hoc idem pietatis exercitium introducatur, plurimum laborate, fratres dilecti, nihil pecuniarum uel munerum ob huiuscemodi labores ulla ratione ab hominibus uel expectantes, uel accipientes, quò facilius eò homines pertrahãtur, ac liberius etiam maiori cum pietate id faciant. Deus enim pars hæreditatis uestræ erit, & benedicet uobis pro huiuscemodi operis præmio, si hanc rem singulari cura & studio perficere, quod speramus, contendere non destiteritis.

IN CAPVT IIII. DE EVCHAristia, folij 8. pagina 1. A. declaratio.

CVm autem semel in anno, &c. Semel in anno communicare consueuerunt fideles illi, qui parum pensi habent de salute animæ suæ, quia alioquin id nisi facerent, excommunicarentur ipso facto, quando legitima causa nulla intercederet.

cur id

eur id, quod tenent, præstare non possent. Boni autem & pij uiri, qui inter chara pignora sua nullum charius habent, quàm salutem animę, sæpissimè non coacti, sicut illi, qui semel tantum in anno id faciunt, quòd aliter facere absq; ignominia non possunt, sed liberè, piè, sanctè, & maximo cum fructu confitentur, ut diximus, sæpissimè, maximaq; cum mentis hilaritate communicant. Tenentur tamen omnes, quicunq; possunt, id singulis annis saltem semel circa pascha resurrectionis facere sub excommunicationis pœna.

IBIDEM LITERA B. annotatio.

PRiuatò & secretò admonete, ut communicare non præsumat, &c. Hoc in confessione fieri debet, & qui id suo tempore non præstaret, conuinceretur negligēter confessarij officio functus fuisse, maximè si is qui confessus esset, ignoraret utrum posset communicare nec ne, & utrum bene uel malè faceret cōmunicando: alioquin extra confessionem etiā cum ipsis, qui nobis sunt confessi, solis, neq; in secreto neq; in publico loqui licet de his, quæ alia ratione non sciuntur, quàm ex confessione. Vel ita certè cautè est agendum in hu-

in huiuscemodi negotio animę, ne ulla ratiõe quicquam factum aut dictum contra confessionis sigillum iudicari à quoquam uiro prudẽte possit.

IN CAPITVLVM V. DE EXtrema unctione, folij 8. pagina 2. litera B. declaratio.

FIdeles doli capaces i. quindecim annorũ &c. Non est usq; adeo regula certa de ætate. Nam quamuis secundum communẽ doctrinam maius iudicium requiratur ad cognitionẽ huius Sacramenti, ut cum reuerentia suscipiatur, quàm communiter requiritur ad peccandum, tamen si eo tempore quis esset tam sagacis ingenij, ut cum reuerentia posset & petere & suscipere decenter hoc Sacramẽtum, posset ei certè dari. Quia uerò in quibusdam regnis & prouincijs homines citius maturum iudicium habere uidentur, quàm in alijs, communiter eo tempore dari hoc extremæ unctionis Sacramentum potest, quando scitur eius ætatis homines aptos esse, qui & illud petere & suscipere cum reuerentia possunt, siue 10. aut 12. siue pauciorum annorum aut plurium illi fuerint, qui extremum uitę spirium agunt. Cæterum extrema unctio dicitur, non quia in ultimo uitæ

uitæ puncto datur, sed quia tūc potest dari, quan do iudicio communi medicorum desperatur de salute corporis infirmi. Qui si postea gratia Dei sanaretur, factū nihilominus bene est, si commo do tempore datum hoc Sacramentum illi fuit.

IBIDEM LITERA C.

AD opus redire poterit coniugale, &c. Hoc intellige si maritus erat, uel uxor alicuius. Alioquin sanctius faceret modo posset (quod certè poterit, nisi legitimo aliquo impedimento detineatur) si unctus sacro oleo in uitæ extremo, reliquū uitæ tempus, quod misericordia diuina consequutus esset, Christo sancto regum regi uncto, dedicaret omnino, & perfectiore uitæ statu aliquem sibi delegaret, in approbata aliqua religione, ubi plenius & sanctius Deo omnipotenti posset & seruire & uiuere.

ALIA IBIDEM C.

NVllum inungite, &c. Satis bonum signum esset, si adhibuisset, quam potuit diligentiam, ut

confiteretur & communicaret, uel si piè & sanctè uixit, aut de mente eius non dubitatur, quin esset petiturus si posset, quòd fuisset bene affectus erga Sacramenta omnia Ecclesiæ &c.

IN CAPVT VI. DE ORDINE sacro, folij 10, pagina 1. B. annotatio.

DEniq; si mediator non est bonus, discordes reconciliare non potest, &c. Hoc non est intelligendum de reconciliatione, quam consequitur per oblationem illam diuinissimam corporis & sanguinis Domini, uel alia sacramenta, quorum sunt Sacerdotes ministri, qui sua ipsorum malitia de Sacramentorum bonitate & amplitudine nihil possunt detrahere. Sed fortè potest intelligi hac ratione, quia preces Sacerdotis & consilia, si ille malus est, aut etiam nulla erũt, aut mala erunt, aut rara, aut etiã Deo & hominib⁹ ingrata, unde fit, ut mali homines malo Sacerdotũ exẽplo audaciores multo ad peccandum aliquando euadant, qui exemplo, orationibus, & pijs Sacerdotũ moribus deberent alioquin conuerti ad Deum.

IN

IN CAPVT VII. DE SACRAmento matrimonij, folij 17. pagina 1. A. explicatio.

LIcet contractum teneat, &c. Horum uerborum sensus potest esse iste: etiamsi contractum matrimoniū teneret uolumus, nihilo minus tamen, ut talibus sub excommunicationis pœna religionem intrare, uel castitatem seruare persuadeatis. Et tunc non esset quæstio, utrum inter tales matrimonium contractum teneret. Sed posset forte quis dubitare, num expedierit ita in huiusce modi casibus procedere. Et dubio procul expediret, si legitimæ adessent causæ, quę hoc fieri postularent. Alioquin si impedimenta fuerūt in contrahendo legitima, contractum non tenet certè.

IN CAPVT XII. DE CELEbratione diuini officij, folij 16. pagina 1. B.

SI uerò dormitio præcesserit, & digestio celebrata non sit, missam celebrare non licet, &c. Posset quidem tunc quisꝗ abstinere propter Sacramenti reuerentiam à missæ celebratione. Et debe

ret omnino, si periculum & indigestio magna esset. Alioquin poterit celebrare, si deuotio maximè sit maior quàm indigestio, uel si alia ratione celebrare teneretur, ut plebani festis diebus & dominicis.

IN CAPVT XIII. DE SImonia uitanda, folij 17. pagina 1. A. expositio.

AD quod etiam postmodum à uobis de iure cogi possunt, si diu fuerit consuetum, &c. Vt de iure nihil dicamus, mementote quæso, fratres dilectissimi, hoc maximè tempore plurimum expedire ad animarum infirmarum ædificationem, si etiam illa quæ iure optimo possumus repetere ab illis, uel eis dimiserimus, uel tam honestè petiuerimus, ut nullus poterit meritò de nobis conqueri. Igitur curandum erit, hoc ius uestrum ita exigere, ut interim animæ, pro quibus Christus passus est, sint uobis multo chariores omib[us] prouentibus, quos ab illis hac ratione aliquando habuistis.

IBI

IBIDEM PAGINA II. B. dilucidatio.

ET in morte securitatem præstare nequiuerit, cimiterium ei denegetur, &c. Aut, nequiuerit, ponitur hic pro noluerit. Et tunc iniquitatis, etiam in hoc mundo, meritò pœnam patitur suæ. Aut illud esset ad exemplum aliorum fortè aliquando faciendum, sed rarissimè, aut certè nunquam, si doloris & bonę mentis signa in morte ostenderit miser ille raptor. Et sanè uidetur uerbum illud nequiuerit positũ pro noluerit cũm posset, cum in fine capitis dicatur: Et generaliter om. q. cons. in mort. pec. deces. qualis certè raptor ille esset, qui etiam in morte nollet restituere.

IN CAPVT XVI. DE SENtentia excommunicationis, folij 19. pagina 1. litera A. declaratio.

CVm aliquis participat cum excommunicato maiori excommunicatione, &c. Hoc intelligitur in casibus à iure non exceptis. Nam neq; ab omnibus, neq; semper contrahitur uel incurritur in minorem excommunicationẽ ob colloquium

cum excommunicato maiori, ut constabit & ex directorio superius dicto.

IBIDEM LITERA C.

SOlus Papa &c. uel legatus à latere extra moenia urbis Romę, uel quicunq; habuit potestatem super hoc delegatam ab ipso summo Pontifice Romano, uel ab eius legato à latere.

IBIDEM PAGINA II. A.

POrrò cum aliquis &c. Illa forma hoc maximè tempore non semper deberet obseruari, necq; ubique obseruatur nisi in casibus publicis, ijsq; grauissimis. Nisi forte in Ecclesia Nitriensi hac ratione magis & absoluendus, & reliqui omnes, qui idipsum uiderent, iuuarentur in Domino.

IN CAPVT XVII. DE habitu clericorum, folij zo. pagina z, litera C.

Contra

COntra facientes &c. Non comprehendunt uerba hæc, religioſos exemptos à iuriſditione Epiſcopi, qui alioquin ſi malè ſe geſſerint, deferendi erunt ad ſuum Prælatum, uel mediatũ uel immediatum, maximè ſi admoniti nõ admodum uiderentur curare ſuam ipſorum emendationem.

IN CAPVT XXVI. QVALIter teſtam. fiant, folij 27. pagina 1. litera C. per totum caput dilucidatio.

STatuimus & mandamus &c. Intelligant autẽ hic rectores & ſacellani, qui ad hoc uocabuntur, hanc conſtitutionem non aliam ob cauſam eſſe factam potiſſimum, quàm ut ſolerter ac piè curent, ne parentum, amicorum, affinium, morientis ambitio nimia aut ignorãtia, uel ipſius etiam morientis ineptitudo in cauſa ſit, cur aliqui minus rectè quàm par eſſet, bona ſua alijs teſtamento mandent. Tum etiam nec eorum, quæ uel reſtituere fortè deberent ex neceſſitate, uel ob maiorem animę ſalutem inſtituere, omnia irrationabiliter bona ſua legando obliuiſcantur. Sciat igitur rector uel ſacellanus, præcluſam eſſe ſibi hac ratione

tione

tione uiam, ne testamentum &c. possit pro arbitratu suo ad proprium suum commodum instituere. Desideria igitur & manus plurimum contineat à bonis illis, & solum curet coram Deo, ne in eo testamento fiat quicquam, quod sit alienum à uiro Christiano. Et qui corpus quidem terræ, bona sua legitimis hæredibus, & alijs pijs operibus, animam uerò iustè ac sanctè Deo tradere tenetur.

IN CAPVT XXVIII. DE excommunicatione, folij 28. pagina 2. B. annotatio.

QVia nullis possunt super hoc in priuilegijs Apostolicis se tueri. Hoc intellige quando esset contemptus, aut participatio in rebus diuinis, & Sacramentorum propriè dicta, quæ non essent sine peccato graui, quod priuilegia Apostolica non approbāt, cuius etiam autoritate excommunicantur homines. Alioquin non solum ex ignorantia inuincibili quis excusaretur, si non uitaret excommunicatos, sed etiam ipsa iura quibusdam in casibus nos excusant, ut in sæpe memorato directorio habetur, & priuilegijs Apostolicis, quando

quando id necessitas fert, potest quis se tueri, ut in Ecclesia, & extra uersari inter hæreticos, & cum illis loqui, & comedere etiam in eadem mensa sine peccato uel excommunicatione ualeat. Et sunt qui huiuscemodi priuilegia hoc nostro tempore habent, ut possint in Hungaria, & uicinis prouincijs ac regnis, ubi tam multi hæretici excõmunicati in ipsis etiã angulis inueniuntur. Quod propriè non est communicare cum hæreticis, aut excommunicatis. Ab irregularitate uerò, de qua in fine dicti capitis agitur litera C. potest quis etiam absolui ab illis, qui super hoc habent à summo pontifice facultatem.

Seu potius dispensari

IN CAPVT XXX. DE RELIGIOSIS mendicantibus, folij 50. pagina 1. litera C. & sequentibus paginis annotatio.

INprimis hac ratione ducimus illam constitutionem obseruandam, ut quicunque nouerit religiosum uel religiosos aliquos cuiuscunque ordinis eo modo malè se gerere, quemadmodum in dicto capite exprimitur, nos aut uicarium nostrum fideliter quamprimum admoneat. Deinde

P uerò

uerò, ut uniuscuiusque iura ſeruentur, diligenter curabimus per eorum Prælatos negotium, ut decet, expedire. Interim tamen poſſunt & debent Archidiaconi eos honeſtè ac reuerenter admonere, ne audeant talia facere, donec aliud ſtatuatur, & eorum cauſa inter nos & Prȩlatos eorum tranſigatur. Quòd ſi noluerint in damnum animarum ipſorum & proximorum abſtinere ab inceptis, arceantur illi omnino abſque ulla iniuria â noſtro grege, & arreſtentur bona ipſorum libris exceptis. Si autem piè & religioſè uixerint, idem nos quoque abſeruatum ſummopere cupimus & optamus, quod in dicta conſtitutione habetur, ne eorum pij conatus ac ſancti labores ulla ratione impediãtur, etiamſi literas noſtras nullas habeant, ſed potius iuuentur eleemoſynis, & modis omnibus pijs, ut nos in parte miniſterij, quam ſuſcepimus, iuuent, ac bonum animarum uerbo & exemplo promoueant ad maiorem Dei gloriam & Eccleſiæ ſuæ augmentum.

PERORATIO.

HAEc ſunt, filij ac fratres in Chriſto Ieſu dile-
ctiſſimi, quæ uobis impræſentiarum com-
municata eſſe uoluimus, & quę nulla ratione ne-
gligere debetis, cum ea certò ſint, per quæ dirigi
in his omnibus, quæ ad ueſtrũ ſpectant officium,
optimè poteritis, ne ulla in re à recto deuietis tra-
mite, ne offendiculum ijs, qui occaſionem quæ-
runt, relinquatis, & ne ſcandalo, ſed exemplo illis
ſitis, qui curæ ſunt ueſtræ commendati. Obſe-
cramus igitur uos per uiſcera miſericordiæ Dei
noſtri, ut uiſcera noſtra paterna reficiatis, quem-
admodum nos parati ſumus, ſanguinem etiam
noſtrum ad inſtar ducis noſtri Chriſti Ieſu pro
animabus ueſtris fundere. Mementote fratres il-
lorum Domini uerborũ: Ego uos elegi de mun-
do, ut eatis per uiam S. mandatorũ Dei, & ſpon-
ſæ eius Eccleſię matris noſtræ, quæ nos in Chri-
ſto genuit, & fructum afferatis in patientia ſcili-
cet & ſanctitate, ſalutem animarum ueſtrarum re-
portantes, ac omnium, quas uobis eſſe commen-
datas Deus uoluit: & proximorum quoq; ue-
ſtrorum. Vnicuiq; enim commendauit Deus de
proximo ſuo, & fructus ueſter maneat. Quod
certè fiet, ſi ipſi uobiſcum, & uos cum illis maio-

rum uestrorum, ac sanctorũ patrum uestigia fueritis sequuti. Qui cum imitatores Christi fuerint, regnant cum Christo in pace, & cum sanctissima eius matre, et sanctis angelis eius. Memẽtote itaq; horum uerborum Domini, & contendite pro uirili, prece uestra diuinæ facere satis uoluntati, ut sitis sancti & immaculati in conspectu Dei, ut uideant homines quoq; opera uestra bona, & glorificent patrem nostrum qui in cœlis est. Commendamus uos Deo omnipotẽti, fratres dilectissimi, B. uirgini Mariæ, sanctis omnibus suis, & angelis custodibus, quorum meritis & precibus utinam omnes cœlestia illa bona consequamini, quemadmodũ Paulus Abstemius uester in Christo frater, & Christi Iesu seruus desiderat, optat, atq; precatur, Amen.

VIENNAE AVSTRIAE
septimo Aprilis.
1560.